D. CHRISTIANI GOTTLIEB LUDWIG

ORD. MED. IN ACAD. LIPS. DECANI

INSTITUTIONES THERAPIÆ GENERALIS

PRÆLECTIONIBUS ACADEMICIS ACCOMMODATÆ.

EDITIO NOVISSIMA.

COLONIÆ ALLOBROGUM,

Sumptibus PIESTRE & DELAMOLLIERE.

1785.

COMMILITONIBUS HUMANISSIMIS.

S.

ALteram inſtitutionum medicinæ clinicæ editionem, quam 1769 bibliopola ſine ulla mea opera curavit, ſic, ut erat immutatam prodiiſſe maxime doleo. Etſi enim multis poteram oſtendere, quare intactum opus reliquiſſem: Vos tamen monitis & emendationibus non inutilibus privatos video, quas in prælectionibus ſæpe quidem adſperſi, tamen, ſi libello ipſi inſertæ eſſent, utilius ſine dubio a Vobis legi tractarique potuiſſet.

Cum igitur, monente bibliopola, nova Therapiæ generalis editio curanda eſſet, operam dedi, ut Vobis hunc libellum correctiorem traderem. Equidem ordinem univerſum parum mutavi; in ſingulis tamen doctrinis id egi, ut, nonnullis rebus omiſſis, aliæ

aliæ magis ſelectæ, a recentioribus inventæ, & uſu probatæ insererentur. Præcipue autem eo reſpexi, ut ordinem & nexum rerum propoſitarum paſſim emendarem, & ubique eo dicendi genere uterer, quod lectioni & repetitioni magis accommodatum eſſet?

Benevole igitur excipite hoc ultimum fortaſſe meæ erga Vos voluntatis pignus, quam ut hactenus ſatis teſtatam me Vobis feciſſe arbitror, ita donec vivam, non deponam: ſed cum vires meas diuturno morbo fractas ſentiam, vel optimam voluntatem deſtituit eventus, incipiuntque animo hæ occupationes leviores videri, a quibus ſe ad altiora & duratura avocari intelligit. Reliqua ergo vitæ pars divinæ voluntati, quæ hactenus omnia mea gubernavit, permittenda eſt, cui ſive placuerit, me diutius Vobis intereſſe, ſive me alia felicitate dignum judicaverit, eam, ut vult religio noſtra, pie & tranquille venerabor, atque quovis modo ſapienter mecum actum, meque beatum exiſtimabo. Valete. Dabam Lipſiæ menſe Octobri A. O. R. MDCCLXXI.

THE

THERAPIÆ GENERALIS PROLEGOMENA.

§. 1.

MEdicus morbum cum cauſſis & ſymptomatibus diſquirens, ex ſignis inde deductis & recte ordinatis, mutationem quandam in ſolidis & fluidis partibus, vel in earum mutua actione deprehendit, quæ functiones quasdam ſani corporis aut turbat aut tollit, ideoque de remediis labem hanc corrigentibus, ſollicitus eſt.

§. 2.

In quo recte efficiendo præcepta therapiæ generalis ſequitur & vel incommoda vitae ex illa labe oriunda, mitigare, vel functionum integritatem reſtituere ſuſcipit. Therapia enim methodum medendi, ſeu rationem, qua corpus ægrum ad ſanitatem revocatur, explicat. *Meth. doct. med.* §. 161.

§. 3.

Hæc autem disciplina medica non solum physiologiam & pathologiam præmitti, sed & remedia ex alimentis, medicamentis & auxiliis chirurgicis deprompta, jam nota esse postulat.

§. 4.

Dum vero medicus has res inter se comparat, ad conclusiones ducitur, quæ indicationem medicam, sive rationem applicandi remedia ad corpus ægrotum definiunt. Hæc fundamenta therapiæ generalis prima parte traduntur.

§. 5.

Remedia vero vivo corpori adhibenda, sunt; quod quidem, quo magis viribus pollet & in universalibus potissimum actionibus vigorem ostendit, eo melius effectus remediorum suscipit. Hinc pars secunda de conservandis vitæ viribus, sive de indicatione vitali exponit.

§. 6.

Et externæ corpori applicatæ & internæ in eo genitæ caussæ *Pathol.* §. 97. morbum faciunt & persistentes exasperant, de iis igitur removendis sollicitus sit medicus, antequam morbo ipsi mederi suscipiat. Traditur hæc caussalis indicatio parte tertia.

§. 7.

Morbus vero seu dispositio, corporis actiones lædens, in solidis & fluidis partibus vel in mutua harum

harum actione obſervata *Pathol.* §. 10. & cum cauſſa proxima morbi conveniens *Pathol.* §. 181. tandem corrigenda eſt, quæ indicatio curatoria parte quarta fuſius declaratur.

§. 8.

Cum autem ſymptomata ſive effectus morbi & cauſſæ, *Pathol.* §. 194. quæ, morbo ſublato, quoque tolluntur, interdum vehementius urgeant & vires vitæ fragant, eo reſpiciendum eſt, ut hæc abigantur vel ſopiantur, cujus ſymptomaticæ indicationis ratio exemplis quibusdam parte quinta illuſtrabitur.

§. 9.

Therapiæ generalis tractandæ ordinem, quem alio loco *Method. doct. med.* §. 161. *ſeqq.* breviter indicavimus & nunc accuratius explicaturi ſumus, ſequenti tabula adumbravimus.

Pars I. Fundamenta therapiæ generalis.
Cap. I. Præſupponenda in therapia generali.
II. indicationis medicæ formandæ ratio.

Pars II. Indicatio vitalis.
Cap. I. Conſervatio virium per alimenta;
Sect. 1. nutrientia.
2. roborantia.
Cap. II. Incitatio virium per medicamenta.
Sect. 1. analeptica,
2. ſtimulantia.

Pars III. Indicatio caussalis.

Cap. I. Correctio errorum diætæ.

II. Venenorum efficacia eamque infringendi ratio.

III. Imminutio plethoræ.

IV. Correctio cacochymiæ.

Pars IV. Indicatio curatoria.

Cap. I. Correctio solidarium partium.

Sect. 1. rigidarum & strictarum.

2. laxatarum & debilium.

3. vulnere divisarum.

Cap. II. Correctio fluidarum partium.

Sect. 1. tenuitatis - tenuium.

2. spissitudinis - spissiorum.

3. acrimoniæ – acrium.

Cap. III. Correctio motus fluidorum per solida.

Sect. 1. in motu aucto.

2. in eo imminuto.

3. in obstructione.

Cap. IV. Evacuatio primarum viarum.

Sect. 1. per vomitoria.

2. per purgantia.

Cap. V. Evacuatio sanguinis.

Sect. 1. per phlebotomiam.

2. per scarificationem cet.

Cap. VI.

PARS I.

FUNDAMENTA THERAPIÆ GENERALIS.

§. 10.

Therapia generalis ut tertia pars medicinæ *Method. doct. med.* §. 84. & 161 omnem cognitionem physicam corporis humani sani & ægroti, in caussis, symptomatibus & signis declaratam, colligit & ad ultimum medendi finem refert.

§. 11.

Quomodo igitur res in disciplinis antecedentibus observando & experiundo inventæ & ratione confirmatæ seligantur, & utiles & certæ, neglectis subtilius tantum disputatis & minus certis, ad therapiæ præcepta applicentur, primo capite indicatur.

§. 12.

Propositiones vero, ex illis disciplinis petitæ, fundamentum sunt conclusionis, qua cognoscitur, quid in ægroto & quomodo illud mutandum sit, quæ est vera ratio syllogismi practici.

§. 13.

In altero itaque capite ostendendum est, quomodo medici, aliis vocabulis utentes, ex dispositione

ſitione ægri indicantia ad formandam indicationem, ceu concluſionem, ordinent & indicata, ceu auxilia, contraindicantibus & coindicantibus ſimul perpenſis, ad medendi finem conferant.

CAPUT I.

PRÆSUPPONENDA IN THERAPIA GENERALI.

§. 14.

SUbſidiis univerſis ſcientiarum literariis, hiſtoricis, philoſophicis præcipue mathematico phiſicis inſtructus tiro medicus *Meth. doct. med.* §. 93. *ſeqq.* cognitionem corporum naturalium univerſam, anatomes & chimiæ auxilio illuſtratam, acquirere tentat &, uti ex iis medicamenta ſeligit earumque actionem declarat, ſic ſimili modo ad alimenta & venena attendit. *Meth. doct. med.* §. 118. *ſeqq.*

§. 15.

Quemadmodum vero his omnibus perſpectis, in phyſiologia & pathologia juvatur, *Meth. doct. med.* §. 134. *ſeqq.* ſic etiam in therapia. Verum cum multi arbitrentur, in hac ſola, reliquis omiſſis, omnem medendi rationem quærendam eſſe, ſubſidia hæc, quæ ad therapiam omnem faciunt, denuo commendabimus.

§. 16.

Etſi medicus in medicina facienda ad prima cognitionis principia non ſemper recurrere poteſt, ſed concluſionibus, ex iis petitis, in medendo utitur; tamen, niſi hæc juſto ordine pertractaverit, nec concluſionum vim percipere, nec iis ſuo loco uti nec in dubiis rerum eventibus; ad vera artis medicæ initia regredi poteſt.

§. 17.

In therapia igitur generali docenda & diſcenda, eo elaborandum eſt, ut concluſiones ex diſciplinis præmisſis ordine deducantur, certæ minus certis & hypotheticis præferantur, hæ non niſi tentaminibus caute inſtitutis illuſtrentur, quo norma tradatur, ad quam in medela morborum medicus certas indicationes ſequi poſſit.

§. 18.

Phyſiologiam e phyſicis, anatomicis & chemicis accurate intellectam medicus ſemper ob oculos habeat. Qui enim ſanitatem conſiliis ſuis conſervat, is eamdem labefactatam per remedia artis reſtituere tentat, vitam itaque & ſanitatem in ægro ſuperſtitem dijudicat, & viribus vitæ ad medendum recte utitur.

§. 19.

Pathologia vero indolem morbi geniti, varia ratione progredientis & ad finem tendentis, per cauſſas & ſymptomata declarat quæ recte ordinanda & inter ſe comparanda ſunt, quo ſigna anamne-

anamnestica, diagnostica & prognostica inde petantur, quibus indicationum medicarum ratio recte definietur.

§. 20.

Sed & remedia corporis ægri mutandi cognita habeat medicus, perspectaque corporum naturalium natura, ex iis præcipue; quæ ad materiam medicam pertinent, seligat, vires, experiundo notas, examine chemico magis definiat & ita simplicium medicamentorum usum & bonitatis notas sibi cognitas reddat.

§. 21.

Simplicia autem medicamenta non semper eo habitu, quo a natura exhibentur ægro propinari & applicari possunt, sed præparatione pharmaceutica eorum vires colligantur, conserventur, augeantur ac temperentur &, si singula fini præfixo non satisfaciunt, aliis sic misceantur, ut medicus pharmacopæum observet, moneat & utiliter laborare discat.

§. 22.

Cum autem in indicatis auxiliis varia ex arte chirurgica petenda sint, apparatus chirurgicus, inprimis instrumentorum præcipuorum forma & ratio ea applicandi, hoc loco summatim indicari debent, donec operationum ratio in institutionibus chirurgicis plenius declaretur.

§. 23.

Cum autem ad therapiam accedens tiro non omnes necessarias doctrinas jam perspectas habe-

re possit, id tantum serio agat, ut ordinem & nexum disciplinarum & rerum, in iis propositarum, intelligat, quo libros, qui doctrinas illas tradunt & accuratius definiunt, facilius legere possit.

CAPUT II.

INDICATIONIS MEDICÆ FORMANDÆ RATIO.

§. 24.

OBservando itaque & experiundo inventæ res, ex disciplinis variis medicis petitæ, sunt præmissæ propositiones, quas attente examinet medicus, qui inde conclusiones therapeuticas elicere suscipit, quibus conclusionibus tandem evincitur, quid in ægro & quomodo mutandum sit.

§. 25.

Omnes igitur mutationes, quas medicus in homine ægro, cum sano comparato invenit, sunt indicantia, ex quibus conclusiones universales seu indicationes format &, indicatis postea remediis recte expensis, hoc est, per contraindicantia & coindicantia confirmatis, singulares tandem in quolibet ægro indicationes definiat.

§. 26.

Indicantia quidem sunt phænomena, quæ in ægro se offerunt, non vero tantum caussæ & effec-

tus,

tus morbi ut ſigna conſiderata, ſed ſanitatis vires, ante ingreſſum morbi vigentes & in ejus progreſſu ſuperſtites, comparandæ ſunt, quo vires vitæ & morbus recte æſtimentur.

§. 27.

Symptomata nimirum omnia *Pathol.* §. 191 *ſeqq.* ex functionibus, inprimis vitalibus, ita dijudicanda ſunt, ut ſanarum augmentum & vim in materia morbi evolvenda & mutanda cum languidis & prorſus depreſſis, ex morbi indole, in ſolidis & fluidis hærente, definiat & ita ſigna ſanitatis & morbi intelligat & inter ſe comparet.

§. 28.

Ex his enim, quæ in ægro eveniunt & ſubinde mutantur, medicus demum cognoſcit, quid corrigendum mutandumque ſit, ut omnes actiones pari modo ſuſcipi poſſint. Judicium hoc medici ex actionum augmento, conſtantia & languore ductum, eum ideo ad indicationem ducit, qua definit, quid in ægro non ſolum in univerſum, ſed pro variis mutationibus, in eo obſervatis, curandum ſit.

§. 29.

Etſi vero univerſalis indicatio præcipit, functiones, a ſanitate pendentes, conſervare, eas vero, quæ a morbo ſupprimuntur, reſtituere, tamen cum ſeries cauſſarum & effectuum in ſanitate ſuperſtite & morbo aucto dijudicanda, varia in ægro attendere & mutare jubeat, indicatio in partes diſtribuenda eſt.

§. 30.

Quemadmodum igitur §. 5. seqq. Et in *Meth. doct. med.* §. 16. *seqq.* ostendimus, indicationem vitalem, caussalem, curatoriam & symptomaticam primarias esse, sic porro singulæ ad normam capitum, in tabula exhibitam §. 9. ordinandæ sunt, quo medicus in facienda medicina aut unam & alteram, aut aliquas simul attendat & seligat.

§. 31.

Hoc modo medicus cognoscit & definit, quid in ægro agendum sit. Sed ei jam cognita sunt varia remedia, quarum efficacia effectus novi & salutares in corpore excitantur. Remedia hæc ex naturali indole, præparatione & compositione recte dijudicata & ad corporis mutationem in sanitatem idonea inventa indicata appellantur.

§. 32.

In his seligendis medicus iterum attendit ad diætæ regimen secundum ordinem sex rerum non naturalium; ad medicamenta, quæ solidas & fluidas partes non solum corrigunt, sed etiam motum eorum reciprocum augent, minuunt & moderantur; ad auxilia chirurgica sive instrumenta, quibus operationes externæ efficiuntur. Indicata igitur ex triplici fonte, diætetico, pharmaceutico & chirurgico petuntur.

§. 33.

Quoniam vero, in morbis plerumque compositis indicantia plurima ad indicationes varias ducunt,

cunt, & indicatorum etiam ſumma varietas eſt, ſæpe accidit, ut indicationem recte excogitatam & indicata apte adhibita contrarii ſequantur effectus, qui caute obſervati nobis contraindicantia dicuntur, hæc enim vel indicationi vel indicato vel utroque repugnant.

§. 34.

In horum repetito examine indicantia denuo attendenda ſunt, & ſi alia & nova deprehendantur, quæ indicationem factam & indicatum electum confirmant, hæc coindicantia dicuntur, quæ non obſtantibus contraindicantibus conſilium & auxilium medici vel confirmant, vel tantum cum aliqua limitatione admittunt.

§. 35.

Si vero indicantia, denuo perpenſa, indicationem fallacem & indicatum noxium declarant, correpugnantia dicuntur, quæ contraindicantia ulterius confirmant & medico novas indicationes formare novaque remedia ſeligere ſuadent.

§. 36.

Quoniam vero hoc repetitum affectionis morboſæ & remediorum agentium examen difficile eſt, nec niſi crebro uſu in poteſtatem medicorum venire poteſt, quædam communia axiomata inventa ſunt, ad quorum normam & juniores & jam exercitati medici, indicationem & indicata corrigere poſſunt.

§. 37.

§. 37.

Sunt autem hæc axiomata præcipua:

1. Cum duæ indicationes urgent & ſimul iis ſatisfieri nequit, ſequenda eſt primaria.

2. Cum indicatio vitalis ſimul cum aliis urget, ad illam ſemper attendendum eſt, quoniam, ea neglecta, remedia fruſtra adhibentur.

3. Si indicatio obſcura & dubia fuerit, e ratione morborum ſimilium eruatur; indicata autem & electa hac ratione remedia, caute tentanda ſunt.

4. Si tentata nocuerint, contraindicantia ſunt, ideoque rejicienda.

5. Si tentata proſint, indicationem dubiam confirmant atque continuanda ſunt.

6. Cum in obſcura & dubia indicatione indicata vitæ periculum non inferunt, omnino tentanda ſunt; ſed, periculo ex iis vitæ imminente, nihil temere urgendum, melius enim ſinere mori, quam occidere.

7. In ſummis & urgentibus malis ſemel tentanda ſunt ſumma remedia, in leviori morbo a lenioribus remediis ad validiora tutius progredimur.

8. Optima remedia, idioſyncraſiæ contraria, nocent, etſi aliis ſæpius utilia fuerunt.

§. 38.

§. 38.

Therapiam generalem nunc ad normam indicationum, in tabula generali §. 9. ordinatarum, pertractaturi, eamdem ex indicationibus recte perpensis dijudicabimus, quo accuratius definiantur, indicata vero remedia, ex alimentorum, medicamentorum & auxiliorum chirurgicorum cognitione petita, ita declarabimus, ut communis medendi methodus suo tempore in cura morborum singulorum sequenda, elucescat.

PARS

PARS II.

INDICATIO VITALIS.

§. 39.

VItam & ſanitatem conſenſu omnium actionum, quas corpus efficere poteſt atque debet, demonſtrat. Etſi vero morbi ſucceſſu aliæ actiones læſæ, aliæ proſus ſuppreſſæ ſunt, vita tamen in actionibus univerſalibus ſupereſt, cum ſanguis & humores, per vaſa & cellulas progrediendo movendi & elaborandi, non ſolum viribus elaſticis juventur ſed vitales quoque motus vi fluidi nervei ſuſtineantur.

§. 40.

Cura itaque medici, vitam conſervaturi, eo redit, ut humorum circulationem, cum ea conjunctas elaborationes & ſimul fluidi nervei influxus in fibras medullares ſuſtineat. Prius illud efficit nutrimentum, quod reliquis mutationibus præparatur & corpori applicatur; poſterius etſi & ipſum ex præcedentibus pendet, interdum tamen medicamentis excitari poteſt & debet.

§. 41.

Indicatio igitur vitalis ad duo capita reducitur: conſervationem virium per alimenta, earumque incitationem per medicamenta. Hæc remedia in univerſum cardiaca appellantur, cum cordis

dis actioni omnis vis vitæ tribuatur ; ſed cordis & vaſorum vis , encephali & nervorum viribus excitata , in conſenſu functionum corporis humani attendenda eſt.

CAPUT I.

CONSERVATIO VIRIUM PER ALIMENTA.

§. 42.

Alimenta & potulenta digeſta & in chylum ſanguinemque mutata , poſt alias in contextu cellulari elaborationes materiam tandem offerunt nutriendis minimis ſolidis idoneam , qua robur elaſticum in iis conſervatur. In ſano itaque corpore plurimæ functiones ad hanc conſervationem virium concurrunt.

§. 43.

Prorſus ſimilis eſt nutritio ægri , cum tamen in eo multæ functiones corporis debilitatæ & labefactatæ ſint , & ſelectus alimentorum & potulentorum , variaque auxilia elaborationis attendenda , ut æger , qui non omnia ferre poteſt , debita ſemper & in acutis & chronicis morbis nutritione reficiatur.

§. 44.

Indicatur vero nutritio ægri non ſolum ex defectu ſanguinis & humorum , ex quibus materia

ultimæ nutritionis præparatur, ſed etiam ex fibrarum, ſolida componentium, inertia, per quam nutrimentum non, ut decet, ſubigitur. Duplex igitur indicatio formanda eſt, & nutriendi, & roborandi corporis cauſa.

§. 45.

Etſi vero duæ hæ indicationes conjunctim ſequendæ ſunt, medicus tamen, qui in ſeligendis & applicandis ſuis remediis cum cura verſari debet, & nutritionem celerem & lentam & materiæ nutriendæ aſſimilationem, ſemper ob oculos habeat, ac recte diſtinguat. Quam ob rem nutrientia & roborantia remedia ſub alimenti & potulenti forma ingerenda diſtinguere placet.

SECTIO I.

NUTRIENTIA.

§. 46.

Humorum, ad nutritionem pertinentium, paucitas aut *κενεαγγία Pathol.* §. 33. non ſolum per longam inediam ex defectu nutrimenti & appetitu in morbis acutis & chronicis imminuto & prorſus deleto, ſed etiam per hæmorrhagias violentas & morboſas reliquorumque humorum diſſipationes inducitur.

§. 47.

In omnibus his cauſis ægri corpus non ita diſpoſitum eſt, ut alimenta recte appetere, digerere & in ſanguinem reliquoſque humores convertere poſſit.

possit. Sæpe acrimonia, morbum excitans, vel alia, per vehementiores circulationes evoluta, ei molesta est, tandem calor excitatus coagula lymphæ, frigus ex torpore viscidum generat; quæ omnia nutrimenti selectum postulant.

§. 48.

Hunc selectum in universum definire fas est. Alimenta satis diluta & ita jam præparata, ut facile in chylum & sanguinem transeant; ut acre & viscidum diluant, resolvant & temperent; ut tandem in reliquis mutationibus elaborationis humorum nec vitientur, nec præsentem jam morbidam affectionem augeant, ideoque magis noceant, quam prosint.

§. 49.

Ex vegetabili igitur victu eligantur semina farinacea cerealium & iis similium v. c. tritici, hordei, avenæ, fagopyri, ex quibus vel panis simplici fermentatione & coctione, vel spissior pulticula, vel tenue decoctum paratur. Decoctis his, etiam fructus horæi v. c. cerasa acida vel alia parca dosi adjici possunt. Tandem olera mollia, asparagi turiones, spinacia cet. coquendo in aqua & jusculo emollita blande, nutriunt.

§. 50.

Lac ipsum ægris, quibus nutritio non succedit, rarius concedi potest, cum non recte subigatur, sed coaguletur, ejus tamen serum vel acidum vel vinosum vel dulce, quod gelatinosam partem

continet, ut potus nutriens, crebro propinari poteſt.

§. 51.

Juſcula ex carnibus juniorum animalium parata, quæ nec viſcida, nec pinguia, ſed magis gelatinoſa ſunt, imprimis tenuia, ſi acido vegetabili nonnihil temperantur, ad tenuiſſimum victum pertinent.

§. 52.

Si maſticatio aliquem locum habet, nec digeſtionis organa prorſus labefactata ſunt, panis albus iſque bis coctus, radices dauci, ſcorzoneræ & petroſelini cum tenui juſculo præparatæ, carnes molliores imprimis aſſatæ, vel piſciculi tenerioris carnis, ut truttæ, lucii, percæ cet. Cum aqua ſalſa cocti concedantur.

§. 53.

Condimenta ex ſale communi & acidis ſuccis parcius addantur, aromatica calidiora non admittantur, interdum tamen mitiora, ut crocus & majorana, concedantur, ne omnis gratia cibis deſit.

§. 54.

Hæc in univerſum propoſita ſufficiant, victus enim cuilibet morbo accommodandus, ex cacochymiis & medicamentoſa quorumdam alimentorum indole, dijudicari & ſeligi debet. Non ſolum vero ad nutrimenti indolem, ſed ad tempus etiam, ordinemque propinandi reſpiciendum eſt.

§. 55.

§. 55.

Si vires ad ſubigendum nutrimentum debiliſſimæ ſunt, non niſi fluidum propinetur; ſin aliqua vis digeſtionis viget, ſolidiora maſticando ſubacta melius conveniunt. In priore illa debilitate crebrius ac binis adeo terniſve horis victus exhibendus eſt; in poſteriori vigore intervalla majora ſint, ut ſex horarum & amplius. Ante exacerbationem morbi nullus victus concedendus eſt, multo minus in ipſo paroxyſmo, ſed, eo finito, reficiatur æger congruo victu.

SECTIO II.

ROBORANTIA.

§. 56.

Neque vero ſufficit ingerere & quodammodo digerere alimenta, ſed eorum etiam elaboratio & appoſitio adjuvanda eſt, id quod efficitur, ſi vires fibroſæ compagis roborantibus alimentis inſtaurentur, imprimis hoc poſt diuturnam inediam, vel poſt graves & diuturnos morbos in convaleſcendo attendendum eſt.

§. 57.

Roborantia alimenta potiſſimum ex fructibus horæis petuntur. Etſi vero acido dulces & aquoſi, nutriente & reficiente vi non prorſus carent, præſtantiores tamen ſunt acidi & acido auſteri v. c. ceraſa, cydonia, meſpili, berberis & ribeſiorum baccæ & ex exoticis malus punica. Prorſus auſteros

& ideo adſtringentes fructus in laxitate corrigenda commemorabimus.

§. 58.

Maturi & recentes fructus præ reliquis eligendi ſunt, leviter tamen cocti cum pane albo bis cocto, non minorem uſum habent. Sed cum non ſemper ſuppetant recentes, exſiccati cum ſaccharo & aromate parciore eorum loco commode adhibentur. Et ſaccharo conditi non contemnendi ſunt, niſi nimia ejus copia reſolventem magis, quam roborantem vim efficiat.

§. 59.

Nutrientia vero prius, quam roborantia ingerenda ſunt, & hæc tandem illis interponantur, aliquo tamen primarum viarum robore reſtituto, a tenuiore victu ad denſiorem, maſticatione & digeſtione ſubigendum, ſubinde tranſeat æger, & ſi in debilioribus aliqua cruditas viſcido acida colligitur, blando laxante ſalino rhabarbarino illa ſubducatur.

§. 60.

Quoniam vero ulteriores nutrimenti elaborationes in univerſo corpore motu adjuvandæ ſunt, membra primum ſpongiis & aqua frigida, poſtea linteis fricentur, unde ſicca cutis roborari & blande perſpirare ſolet. His ſuccedant aliæ corporis exercitationes ad initia lenioris laſſitudinis, quibus ſomnus tranquillus invitatur.

CAPUT

CAPUT II.

INCITATIO VIRIUM PER MEDICAMENTA.

§. 61.

Superiori capite lentam magis, ſed duraturam virium conſervationem indicavimus, quæ ex continuatis humorum elaborationibus pendet: cum tamen in morborum progeſſu vires vitæ nonnunquam ſubito langueant, & circulatio & elaboratio humorum minus recte procedant, medicamento quodam ſubtili & efficaci, vis nervorum, qua hæ actiones diriguntur, incitanda eſt.

§. 62.

Obſcura quidem eſt fluidi nervei natura & indoles, ex eo tamen, quod in his motibus ad fluidi nervei agilitatem & fibræ medullaris actionem reſpiciendum eſt, alia medicamenta, quæ volatilia ſunt, & ad fluidum nerveum propius accedunt, analeptica, alia vero, quæ fibras irritant, ſtimulantia dicturi ſumus. Quamquam vero utriuſque actionis limites accurate definiri nequeant, aliqua tamen actionis & inde pendentis indicationis diverſitas patebit.

SECTIO II.

ANALEPTICA.

§. 63.

Analeptica medicamenta, quæ potiſſimum naribus applicata & ori ingeſta juvant, præterea tamen corpus undique penetrant, ex ſubtili vegetabilium & animalium halitu petuntur. Particulæ eorum volatiles vel a natura ipſa elaborantur & coguntur, vel in his & quibuſdam mineralibus deliteſcentes, arte chemica evolvuntur & adunantur. Hac igitur ratione corpus ſubito penetrant & grate afficiunt vireſque ejus inſtaurant.

§. 64.

Hæc medicamenta, quæ a languido humorum circulantium motu indicantur, tum potiſſimum valent, cum, humoribus libere fluentibus, deficientes ſolidorum vires pulſu debili ſe produnt. Cum igitur humores vel ex pituitoſa indole, vel inflammatoria diatheſi languidius promoventur, tum vel parcius vel prorſus non adhiberi debent, quoniam ſolidorum vires tantum augent, neque tamen humoribus mobilitatem conciliant.

§. 65.

Vapor tenuis e foliis, floribus & fructibus, in quibuſdam plantis adeo fragrans eſt, ut corpus languidum ſua vi excitet & reficiat. Meliſſæ folia, roſæ flores, citri & aurantii flores & cortices, ex tot plantis odoratis exemplo nobis ſint.

ſint. In iis tamen corpori applicandis caveat medicus, nel nimis odoratæ caput grauent & temulentiam inducant, neque idioſyncraſiæ ægrorum contrarias ſeligat. Florum lilii albi, foliorum juglandis & aliarum graveolentium plantarum vapores moleſti & noxii ſunt.

§. 66.

Nonnulli ex his vaporem adeo volatilem ſpargunt, ut mox in auras avolet, nec arte chemica colligi poſſit, ex aliis vero aquæ deſtillatæ & olea eſſentialia eliciuntur, quæ in externis interniſque remediis adhibentur, & nervoſum ſyſtema grate afficiunt. Tanta plantarum, ſale volatili oleoſo ſcatentium, in materia medica recenſetur copia, ut in aquis & oleis deſtillatis nec non in balſamis, eleoſaccharis aliiſque medicamentis compoſitis exempla plura proſtent.

§. 67.

Fermentatio, quæ, motu inteſtino excitato, oleoſo ſalinas partes aquoſis jungit, & inflammabile aquæ intimius immiſcet, ſemper quidem ex plantarum partibus non odoratis volatile producit, tamen hoc ex odoratis magis efficax eſt v. c. ſpiritus roſarum & ſerpilli. In analeptica enim indole ad ſpiritum rectorem ſeu ſpecificam vim vegetabilium attendendum eſt. Spirituoſum ipſum concentratum ſtimulat & ſiccat, ideoque noxium eſt.

§. 68.

Si ad fermentationem primam ſeu vinoſam reſpicimus, cerevifia quidem nutrientes particu-

las cerealium ſpirituoſis junctas offert, hoc enim potus genus, dummodo bene præparatur, ad cardiaca referri poteſt. Excellunt tamen vina bonæ indolis, quæ grato ſapore & odore prædita, terræ, in qua creſcunt, & fermentationis bonitate ſe commendant, grataque analeptica vi pollent. Quemadmodum enim vina generoſa ſolo odore ſæpius reficiunt, ſic hauſtus eorumdem nervorum vires inſtaurat. Cave tamen, ne nimis ſpirituoſa vina, humores commovendo, æſtum excitent.

§. 69.

Fermentatio altera, quæ acetoſa dicitur, acidum vegetabile attenuatum & concentratum aquæ jungit. Acidum naturale citri & quorumdam plantarum ſucci exhibent, ab his parum differunt aceta bene elaborata, quæ ſpirituoſo ſuo halitu ægrum grate afficiunt. Vis tamen analeptica acidorum longe major eſſe ſolet, ſi cum floribus aliiſque plantarum partibus digeſta fuerint. Acida hæc in multis morbis, qui æſtu & putrida reſolutione ægrum conficiunt, cum fructu propinantur.

§. 70.

Etſi acida mineralia, imprimis vitriolicum, vehementius agunt, ſimili tamen modo ut vegetabilia debilitati ab æſtu medentur, putredini reſiſtunt, & ſolida non nihil roborant, ſanguinem non cogunt, ad lymphæ vias vix penetrant, ideoque coagulum inflammatorium lymphæ non ſolvunt, attamen, imminuto calore, ulteriorem ejus geneſin impediunt. Adhibentur vero diluta in

ſpiritu

ſpiritu & phlegmate vitrioli, & ex hoc paratis tincturis florum, porro in ſpiritu ſulphuris per campanam, præcipue in julapiis analepticis.

§. 71.

Vitriolicum tamen hoc acidum & alia mineralia efficaciora fiunt, ſi digeſtione & cohobatione cum optimo ſpiritu vini combinantur, &, ut chemici dicunt, dulcificantur. Spiritus vitrioli dulcis, qui inter noſtros liquor anodynus mineralis HOFMANNI appellatur, & aliis quoque nominibus inſignitur, ſpiritus nitri & ſalis dulcis vel per ſe, vel cum oleis plantarum eſſentialibus conjuncti, ſummo jure optimis medicamentis analepticis accenſentur.

§. 72.

Et alcalina volatilia, ut ſal alcali ammoniacale, vel ſal volatile cornu cervi cet. vel ſpiritus alcalini volatiles in refracta doſi exhibita, vel naribus applicata, ut cardiaca, vires nervorum inſtaurant. Hæc vero caute adhibenda ſunt, cum ſæpe calorem augeant & caput gravent. Tutius forte propinantur liquor cornu cervi ſuccinatus, quippe qui ex ſpiritu vel ſale cornu cervi, & ſpiritu vel ſale ſuccini, quorum acida indoles eſt, ſpiritum volatilem medium exhibet nervos incitantem.

§. 73.

Cardiacis his medicamentis alia quædam ſpecifica, ſubtiliſſima particularum indole prædita annumerantur. Ex vegetabili regno, camphora, benzoinum, ſtyrax & varia gummi ſaponacea, imprimis aſa fœtida; ex animali, caſtoreum, moſchus & zibethum; ex minerali, ſuccinum & ambra. Hæc omnia per ſe, vel aliis medicamentis parva ſæpe doſi juncta, nervina & vires reficiente indole pollent, dummodo idioſyncraſiæ ægrorum & morbi temporibus recte accommodentur.

SECTIO II.

STIMULANTIA.

§. 74.

Dubium quidem eſt, utrum medicamenta hactenus commemorata in fluido nerveo tantum, an in fibris quoque medullaribus vim ſuam exſerant. Sed alia, quæ plus minus cutim irritant, non nihil inflammant, & poſtea ſerum acre alliciunt & evacuant, rubefacientia & veſicatoria, magis ſtimulantia & nervos incitantia dici merentur. Etſi vero de illis alio loco propter ſeri acris irritationem fuſius dicturi ſumus, huic tamen indicationi ſimul addere debuimus.

§. 75.

§. 75.

Indicantur vero a viribus ægri depressis, a materia acri stagnante & immobili, tum scilicet, cum humores simul resolvendi sunt. Volatiles enim v. c. piperis & sinapi partes, aromaticas & nasturtinas, acido aceti solutas, quodammodo in humores penetrare, cantharidum effectus in vesicatoriis emplastris abunde probat, stimulando autem potissimum suam vim exserere, ex eo patet, quod languentem naturæ vim incitanda circulatione & suctione humorum juvant.

PARS

PARS III.

INDICATIO CAUSSALIS.

§. 76.

Sani homines, in varia vitæ ratione, caufis quidem morborum occafionalibus expofiti, viribus tamen vitæ eas fuperant, imprimis fi confiliis medicorum diligenter regantur. At fubinde in multis caufæ prædifponentes non adeo celeriter tranfeunt, fed corpori inhærentes initia morborum faciunt. *Pathol.* §. 100. *feq.* Tum igitur potiffimum, cum morbus ipfe increfcit, de his caufis removendis follicitus eft medicus & indicationem caufalem, quæ & prophylactica feu præfervatoria dicitur, animadvertit.

§. 77.

Redit vero hæc indicatio ad quatuor capita: (1 ad difquifitionem & correctionem errorum diætæ, ut caufarum occafionalium leviorum, 2) venenorum, ut vehementiorum, (3 plethoræ, & 4) cacochymiæ, ut caufarum prædifponentium. Hoc medici officium in morbis avertendis, & ab initio coercendis fumme neceffarium, nunc ante indicationem curatoriam defcribendum eft.

CAPUT

CAPUT I.

CORRECTIO ERRORUM DIÆTÆ.

§. 78.

Modum conſervandæ ſanitatis ad normam rerum ſex non naturalium in quarta phyſiologiæ parte ſive diætetica tradidimus; in diſquiſitione cauſarum pathologica vero *Pathol.* §. 100. *ſeqq.* damna ex neglectu earum oriunda annotavimus; nunc de ſanitate, accuratius obſervatis regulis diæteticis, reſtituenda, ſigillatim agendum videbatur. Sed quoniam harum rerum tædioſa repetitione moleſti eſſe nolumus, cuivis ea privatim repetenda permittimus, & de correctione errorum diætæ nonnulla in univerſum monemus.

§. 79.

Medicus erga ſanos, qui adverſus diætæ leges peccant, non moroſus ſit, ſed eos opportuno tempore ita moneat, ut, de iis convicti, lubenter flectantur, & noxas, a neglectu oriundas cognoſcant & evitent. Nec univerſales eſſe regulas diæteticas arbitretur, ſed erroribus, ex conſuetudine familiaribus redditis, non nihil concedat, ut eos niſi aperte noceant, ſenſim corrigat, imminens vero ex iis ſanitatis damnum, ſevera admonitione oſtendat & avertat.

§. 80.

§. 80.

Diætæ errores ægrotis, imprimis gravi morbo decumbentibus, & in vitæ discrimen deductis, a medico non acriter ut morborum causæ exprobrandæ sunt, ne timidi & desperati reddantur: morbo autem imminuto vel superato, gravitatem nuperorum errorum iis serio ostendat, & cautiorem diætam suadeat, ne, novis causis admissis, morbus non nihil suppressus iterum increscat, aut dissipatus denuo excitetur.

§. 81.

In hoc etiam officio exequendo prudens sit, & animi propensionibus ægrorum, suæ curæ traditorum, censuram diætæ accommodet: Si enim durius iis imperat, celant sæpe errores, nimia vero lenitate moniti, damnum non nisi experiundo intelligunt.

§. 82.

Nullius curam suscipiat medicus, nisi vitæ ante actæ conditiones, quantum quidem rescire licet, probe disquisiverit. Imprimis vitam amicorum, qui ipsi continuam sanitatis curam committunt, attendat, eamque tali diætæ subjiciat, quæ non solum morbos aversura, sed etiam, oriundos protinus coercitura videatur. Opprobrio est medicis connivendo &, errores diætæ nonnunquam approbando, amicitiam eorum, qui genio indulgent, captare, & causas gravissimorum morborum incurius fovere.

§. 83.

Etſi vero in ipſo morborum decurſu errores diætæ ceſſant, ideoque eorum perveſtigatio minus neceſſaria videtur, ſerio tamen & ſemper ad diætam ægri reſpiciendum eſt, quæ inter præſtantiſſima remedia numeranda eſt. Valet autem ubique illud, diætam accuratiorem omnibus ſuadendam, tamen genio morbi & ſymptomatibus præcipuis accommodandam eſſe. Nos vero, qui de ſingulis hic agere non poſſumus, medico, ad ægros accedenti, in primariis doctrinæ capitibus indicabimus, quid attendi mereatur.

§. 84.

Morbi a vitiato aere oriundi vel aucti, præcipue exigunt, ut æger in puriorem aerem deferatur, vel noxius corrigatur. Hanc ob cauſſam ventilatio & renovatio aeris in cubiculis ægrorum crebrior opus eſt, & ingrato putridoque halitu nocentes res omni cura removendæ. Correctio aeris per vapores medicatos non quidem intermittenda eſt, eo tamen reſpiciat medicus, ut indolem depravatam aeris non ſolum mitiget, ſed mutet.

§. 85.

Caloris & frigoris gradus circa ægrum ita moderandi ſunt, ut, ſi fieri poſſit, etiam thermometro juſta aeris temperies definiatur, niſi paulo majus unius & alterius incrementum ad curationem morbi requiratur. Ad has leges non ſolum cubiculi diſquiſitio ordinanda eſt, ſed ſtragula etiam ita collocentur, ne æger ex aeris viciſſitudinibus detrimentum capiat.

§. 86.

De victu etiam ægri sollicitus sit medicus cumque ad normam indicationis vitalis §. 42. seqq. præscribat. Cum autem ægri nutriendi causa, selectu alimentorum opus est; præcipue quidem ad animalem & vegetabilem, & utriusque variam præparationem, sed etiam ad indolem & copiam attendatur: illam ita seligat, ut curationi morbi simul inserviat, hanc ex integritate organorum digestionis, & necessitate succorum ingerendorum definiat.

§. 87.

Abstinentia ab omni cibo paucis ægris convenit, ordo potius & selectus alimentorum ex indole et temporibus morbi definiatur. Ante paroxysmum vel eo durante, nutritio non concedenda est, quoniam vires morbi intendit, & coctiones materiæ morbosæ impedit; paroxysmo autem superato, æger victu reficiendus est, quo vires ad morbi mutationes secuturas necessariæ conserventur.

§. 88.

Potus ægrorum, si in genere eum consideramus, sit aqua simplex bonæ notæ, quæ diluit, acrimonias, in humoribus natas, solvit, & per varia corporis colatoria promovet. Potum fermentatum aut vitalis indicatio §. 68. aut interdum curatoria exigit. Aquosi potus, vel demulcentibus vel analepticis gratioris redditi, copiam sitis ægri quidem definit, ipsæ tamen ventriculi vires nimiam non admittunt, sed crebris & moderatis hau-

haustibus potum sumendum esse declarant. Potus frigidiusculus plus diluit, calidum interdum speciales indicationes poscunt.

§. 89.

Et motus & quietis & somni & vigiliarum vicissitudines; in progressu morborum varia ratione turbatæ, separatim disquirendæ & ordinandæ sunt. Monemus tamen medicum, motum ægri &, si aliter fieri nequit, frictiones partium sustinere, suo tamen tempore quietem, interdum etiam somnum, apto situ aliisque auxiliis allicere, in soporosis tamen affectibus somnolentiam omni modo impedire debere.

§. 90.

Animi affectuum moderamen, ut semper, sic præcipue in morbis servandum est: grati enim & ingrati, si vehementiores sunt, vires vitæ deprimunt, earumque efficaciam, in morbis cooperantem, infringunt. Medicus ideo adhortationibus suis timorem imprimis & iracundiam cohibeat, spem & fiduciam vero excitet, omniaque ab ægro removeat, quæ animi contentionem urgent & fovent.

§. 91.

Hæc præcipua sunt monita, quæ medicus, diætam ægri in universum definiens, attendere tenetur, ea enim, quæ singulis ægris conveniunt, examine speciali inveniuntur & ordinantur. Etsi enim certum est, exquisitissima medicamenta in gravissimis morbis effectu vero destitui, nisi diæ-

ta juventur, aliæ tamen regulæ, quam quæ ad ſanitatem tuendam requiruntur, proponi nequeunt.

CAPUT II.

VENENORUM EFFICACIA EAMQUE INFRINGENDI RATIO.

§. 92.

Venena ſunt corpora naturalia earumque partes, quæ corpori animali, imprimis humano, ingeſta vel alia ratione applicata, ſolidorum minimorum vigorem & fabricam, fluidorumque mixtionem turbant, & deſtruunt, mortemque accelerant. Cum vero in particulis minimis aggregatis vel mixtis inimicam hanc vim exſerant, artefacta etiam venena huc referenda ſunt. Quemadmodum enim interdum præparatio deleteriam vim deſtruit, ſic ſæpe eamdem non ſolum ſervat, ſed auget.

§. 93.

Venena ſubito utplurimum lædunt, interdum tamen lente, ſed certo exitioſa ſunt. Accidit etiam, ut caſu fortuito ex re alias innoxia effectus lethalis venenato ſimilis oriatur. Interdum veneni vis diſpoſitione hominis augetur, interdum infringitur. Cum vero nos eas corporis particulas, quæ ob indolem ſuam & mixtionem, ſi non ſemper, ſæpiſſime tamen homines interficiunt, venenatas dicamus,

dicamus, exceptiones has & alias in venenorum disquisitione attendendas in medicina forensi potissimum dijudicamus.

§. 94.

Multa venena in materia medica cum medicamentis salubribus examinantur & describuntur; a re tamen alienum non erit, classes quasdam constituere, &, effectibus indicatis, indicationes & remedia ad venena tollenda & infringenda proponere. Licet vero hæ classes venenorum ex natura particularum & indole effectus recte constituendæ forent, hoc tamen in multa cognitionis obscuritate fieri nequeat, nos tantum venena juxta ordinem trium naturæ regnorum ordinabimus.

§. 95.

Ex regno minerali rigidæ & acutæ quorumdam corporum particulæ, nervos pungendo & vascula dilacerando, sensilem primarum viarum fabricam lædunt, & spasmos, hæmorrhagias, inflammationes atque gangrænam & sphacelum inducunt. Vitri contusi nec subtilissime triti particulæ scindentes & dilacerantes declarant, quomodo adamas & alii lapides pretiosi, crystallus montana, alumen plumosum & similia mineralia corpora venenatam vim exserant, etsi humoribus solventibus non penetrantur.

§. 96.

Acida mineralia concentrata, vitriolicum, nitrosum & salis communis, per se & quando ut menstrua metallicas particulas solutas habent, pri-

mas vias vehementer lædunt, nauſeas, vomitus, eroſiones inflammationes, colicas, & dyſenterias cum vehementiſſimis torminibus excitant, &, ſpaſmo aucto, per totum corpus propagato, homines conficiunt. Calces metallorum, ignis vi exuſtæ, recentes ſimili ferme ratione agunt. Cupri calx ſive viride æris, etſi cum acido vegetabili paratur, ob cupri tamen particulas lentius quidem, tamen venenata vi nocet.

§. 97.

In his omnibus ad mechanicam quamdam vim, figura & forte pondere lædentem, reſpicimus, ſpecificam tamen & ex ſingulari mixtione declarandam, arſenicum, quod prunis injectum odore alliaceo ſe prodit, habet. Cobaltum enim & variæ ejus mineræ, arſenicum album, cryſtallinum præbent, quod, ſulphure addito, in citrino & rubro mitius redditur. Hæc cuncta effectus nunc indicatos ſuo quoque modo exſerunt, ſed vapore etiam nervis adeo infenſa ſunt, ut vertigines, convulſiones & paralyſes excitent, & niſi homines violenta vi deſtruant, lente tamen abſumant.

§. 98.

Arſenicalibus vaporibus effectu ſimiles, halitu tamen pernicioſiores ſunt, ſulphuris accenſi & concentrati vapor, aer in cryptis ſubterraneis diu incluſus, & ſimiles forte vapores diverſæ indolis ex tetro carbonum halitu, aliiſque vaporibus anguſto loco incluſis & quieſcentibus v. c. cloacis & muſto & cereviſia fermentante. Hi enim non ſolum organa reſpirationis ſingulari ratione ſtringunt, &

ſuf-

ſuffocationis cauſſa ſunt, ſed univerſum ſyſtema nervoſum afficiunt, omnes vires vitales ſubito ſupprimendo, mortem inferunt.

§. 99.

Subtiliſſimæ & volatiles terræ particulæ quæ in lapidicinis & metalli fodinis diſſipantur, & ab iis, qui calcem & gypſum tractant, & terras varias v. c. tripelas, ad polienda marmora, lapides pretioſos, vitra & metallica vaſa adhibent, vel pulmonibus ſuſcipiuntur, vel ſuperficiei corporis applicantur, veneno ſimiles vires habent. Etſi enim perſpiratione impedienda non evidenter nocent, a pulmonibus tamen receptæ, ſcirrhis & tophis genitis lentam corporis tabem inferunt.

§. 100.

Effectus hi in plumbo magis apparent, cujus triti ac liquefacti & præcipue acidis ſoluti vapor capiti nerviſque infeſtus eſt, & ut quælibet ejus calx in minio, lithargyrio & ceruſſa, interno & continuato uſu lentos quidem, ſed exitioſos tandem morbos inducit. *)

*) „ An medicamenta, ex plumbo parata, externe cuti „ applicata & a chirurgis nunc frequentius adhibita, lenti „ veneni vim habent? Certe ſi & ſiccant & diſcutiente „ vi pollent, in imbecillis tamen caute adhibenda ſunt, „ utpote ſyſtemati lymphatico & nervoſo infenſa.

§. 101.

Plumbi enim effectus in internis corporis ſedibus valde noxii obſervantur. In primis enim

viis colicæ, borborygmi & alvus ſtricta, nec non obſtructiones glandularum meſaraicarum; in pulmonibus obſtructio, ſcirrhus & aſthma; in ſyſtemate lymphatico atrophia; in nervis ſtupor, paralyſes & ſpaſmi inde oriuntur, quæ mala cuncta, ſubtiliſſimis humoribus coagulatis, vaſis minimis obſtructis, & ſolidis partibus exſiccatis, lenta tandem mors ſequitur.

§. 102.

In venenis vegetabilibus omnia quidem draſtica vomitoria & purgantia medicamenta, ſi largius, vel ab imbecillis ægris, vel minus apto tempore adhibeantur, commemorari merentur. Hinc lacte acri turgentes plantæ v. c. euphorbiæ ſpecies, earumque ſucci inſpiſſati, in primis viis nauſeas, hypercatharſes & inflammationes inducunt. Similem acrimoniam habent apocynorum ſucci & gummi guttæ.

§. 103.

Acri quoque ſucco lædunt plantæ, quæ tritæ & cuti applicatæ, eam inflammant, & maſticatæ, os & fauces protinus indelebili ferme ardore afficiunt v. c. toxicodendri, ranunculi, clematitidis, thymelææ & aconiti ſpecies plurimæ Ex his & aliis mox indicandis, attentis medicorum tentaminibus, temperata & morbis ſæpe rebellibus accommodata medicamenta inventa ſunt.

§. 104.

Acrimonia inflammante non quidem prorſus destituuntur, magis tamen viſcido adhærente no-

çivæ

tivæ ſunt, narcoticæ & ſtupefactivæ plantæ, quæ cerebrum & nervos ſingulari quadam vi petunt, & præter nauſeas & vomitus vertigines, deliria, furores, ſpaſmos, apoplecticos & paralyticos inſultus inducunt. Commemorari hic præ reliquis merentur cicutæ ſpecies & ſimiles umbelliferæ plantæ, ſolanorum familia & congeneres plantæ, nec non belladona, hyoſcyamus & datura ſive ſtramonium, tandem ipſum opium, anodyna quidem & ſalutari vi præditum, inconſiderate tamen propinatum, narcoticum & venenatum.

§. 105.

Sunt & aliæ plantæ inter noſtras, magis tamen calidiorum climatum indigenæ, vi venenata nocentes, quæ tamen cum ſpecifica quadam vi polleant, quæ per antecedentia non ſatis explicari poteſt, ad hiſtoriam venenorum ſingulorum pertinent. Bulbi ſcillæ, coronæ imperialis & hyacinthi, fungi venenati, anacardium, nerium & tagetes exempla ſint. In univerſum tamen notandum eſt, operationes venenorum imprimis vegetabilium, pro ratione animalium, a quibus ſumuntur, inſigniter variare.

§. 106.

Alcalina ſalia, ex plantis per incinerationem prolecta, vel per ſe, vel, addita calce viva, calcinata & inde acriora reddita, incautius corpori applicata vel interne propinata, inflammationis, gangrænæ & ſphaceli cauſſæ ſunt. Simili ratione calx, ex lapidibus calcareis, oſtreis, teſtis ovorum, oſſibuſque animalium præparata, etſi medicata vi

C 5 pol-

pollet, in recenti tamen calcinatione, ob igneum aliquod principium adhærens, rodentes & veneno similes effectus habet.

§. 107.

Animalium partes putrefactas nauseam & vomitum creare, ova corrupta declarant; sed venenata vis in his non observatur. Sunt tamen animalia, quæ cuti sanæ applicata, inflammationem in ea excitant, ut cantharides, urtica marina cet. quæ ideo deglutita, non solum primis viis, sed etiam in particulis resolutis ad vasa delata nocent.

§. 108.

Culices aliaque insecta proboscide læsionem cuti inferunt, quæ inflammationem movet. Vera tamen vis venenata in majoribus araneis, præcipue tarantula, scorpione, vipera aliisque serpentum speciebus, cutim morsu lædentibus, excitatur. Hæc animalia autem non nisi irritata, homines aliaque animalia lædunt, & tunc acrem humorem ceu salivam ipsorum digestioni necessariam, vulneri immittunt. Iracundia & rabie salivam cujuscumque animalis venenatam reddi, canis rabidus aliaque animalia simili labe infecta testantur, hinc hydrophobia & horrenda ejus symptomata.

§. 109.

Inter exempla præcipuorum effectuum vis viperini veneni indicetur, quod, etsi deleterium est, tamen non nisi in vulnere nocet, & ut con-

stat,

ſtat, ſine noxa deglutitur. Sed in vulnere præter inflammationem plus minus inſignem, tumorem & ſtuporem læſæ partis inducit. Præterea cum toto corpori celeriter communicatur, torporem, icterum, ſtuporem, mentis alienationem, convulſiones & deliria excitat, citiſſimamque mortem arceſſit.

§. 110.

Non arbitramur a re alienum, enumeratis præcipuis venenorum generibus, etiam antidota ſive oppoſita venenis remedia idoneo ordine & nexu pertractare, quoniam de iis in doctrinis clinico-chirurgicis paſſim tantum agitur, eorum tamen notitia, ut in his diſciplinis, ſic præcipue in medicina forenſi magni uſus eſt.

§. 111.

In venenorum autem noxa avertenda & mitiganda, ſequentes indicationes obſervandæ ſunt. Venena omnia a corpore humano removeantur, vel ſi hoc fieri nequeat, corpus contra eorumdem vim muniatur; quod ſi corpori jam applicata ſint, vel per varias vias protinus expellantur, vel contrariis remediis corrigantur & immutentur; tandem ſymptomata gravia, ab iis inducta, mitigentur.

§. 112.

Atque ut venena cognita quilibet homo ſanæ mentis averſatur, viperas & animalia rabida fugit, plantis venenatis, non veſcitur, & corpora alia

alia venenata declinat; ſic magiſtratus in republica bene ordinanda, & patres familias in ædibus & hortis, per medicos peritos moniti, ea etiam arceant, quibus imperiti & infantes lædi poſſint.

§. 113.

Halitus noxii & venenati nonnunquam, in aere univerſo, quo carere non poſſumus, vel in ſingularibus locis urbium & ædium diſperſi ſunt; quos cum ventorum agitatio corrigat, etiam ventilationes particulares arte adjuventur, & corpora, ex quibus exhalant, flammis comburantur, venenatos etiam vapores, contrariis excitatis, corrigimus vel atmoſphæram, ejuſmodi particulis inquinatam, in alia & diſſita loca tranſeuntes, fugimus.

§. 114.

Corpus hnmanum contra venena vaporoſa muniatur conſervata perſpiratione blanda & æquali, reſpiratione moderata nullo modo intenſa. Nec ſaliva, ad contagium aereum ſuſcipiendum apta, deglutienda eſt ſed in loco infecto verſemur, crebrius exſpuenda. Oleoſa, aquoſa, ſaponacea, mellita, emollientia & lubricantia medicamenta copioſius in ventriculum ingeſta, non tantum facilitatem ſuſcipiendi veneni impediunt, ſed & ſuſcepti vim in partes corporis ſolidas infringunt. Non ſine ratione igitur oleum & aqua antidota generalia dici poſſunt.

§. 115.

§. 115.

Venenorum quodlibet corpori ingeſtum vel applicatum, antequam ſolvatur, humoribus admiſceatur & in ſolida minima agat, quantum fieri poteſt, expellendum eſt. Si in ventriculo hæret, vomitorio blando oleoſo, nauſeoſo non acri; ſi in alimentorum canali ulterius jam progreſſum eſt, purgante, leni lubricante & antiphlogiſtico, ſatis tamen efficaci, vel clyſmate lubricante reiterato; ſi ad ſecundas vias penetravit, diaphoretico regimine, propinatis ſimul aromaticis calidioribus & volatilibus medicamentis, addita opii doſi; ſi in cute hæret ſugendo, pſyllorum more, dummodo ſugentis lingua & os illæſa ſunt, vel ſcarificando cucurbitulis eo loco cum multa flamma admotis, vel cauſtico actuali, vel ligatura fortius adſtricta ſuper locum læſum, expellitur.

§. 116.

Primaria quidem indicatio correctionem veneni ingeſti & applicati poſtulat. Hæc tamen difficillima eſt. Cum enim natura & indoles venenorum ex mixtione particularum accurate dijudicari nequeat, antidota quoque certa iis opponenda ægre definiuntur. Præterea actio venenorum vehemens non niſi antidotis vehementioribus infringitur, quæ, dum in venenum agunt, corporis partibus, quibus ſimul applicantur, ſuo quoque modo noxam inferunt. Quædam tamen antidota, variis tentaminibus inventa, hic recenſere juvabit.

§. 117.

In universum quidem aqua & olea expressa aliaque mucilaginosa & dulcia medicamenta acrimoniæ omnium venenorum opponuntur §. 114. Hæc calida & copiosa per os ingerantur; per anum injiciantur, & superficiei corporis, in vapore, epithemate & balneo applicentur, quo omne acre obtundatur & fibræ spastice constrictæ non nihil relaxentur. Convenit quoque aquam oxymelle vel sapone, vel farinaceis ex cerealibus, vel subtilissimis bolaribus & margaceis terris additis, ita medicatam reddere, ut abstergendi & acria involvendi vi magis polleat. Hæc cuncta tum potissimum eligenda sunt, cum venenum propinatum vel sumtum fuisse suspicamur vel certo scimus, etsi indolem ejus plane ignoramus.

§. 118.

Commemorata hactenus antidota tunc potissimum eligenda sunt, cum acria subito inflammantia §. 95. *seqq.* §. 102. *seqq.* venena sumta & applicata fuerunt: non solum enim vomitum a veneni stimulo oriundum juvant, & faciliorem reddunt, sed primas quoque vias contra vehementiam ejus, muniunt, & spasmos mitigant. Aqua tepida melle & sacharo dulcissima reddita, jusculа pinguia farinacea, olea expressa, lac, ejus serum, butyrum primum ingerantur, his vero blanda laxantia antiphlogistica, ex manna, tamarindorum & cassiæ pulpa cet. subjungantur.

§. 119.

Venena acria vegetabilia viſcida & narcotica; §. 104. ſimilibus quoque remediis mitigentur; his tamen larga oxymellis copia, nec non gummi ſaponacea in eo ſoluta, quoniam viſcida reſolvunt, & antiſpaſmodica vi pollent, jungantur. Cum vero ſubtiliſſimæ hujus veneni particulæ intimas corporum partes ad nervos uſque penetrent, diaphoretica calidiora, quæ ſudores largos excitant & continuant, propinanda & regimine calido juvanda ſunt. Etſi vero his vires ægri vehementer franguntur, frictiones tamen interpoſitæ, balnea ſubfrigida, & cardiaca, medicamenta, nec non diætæ accuratior, dummodo vis veneni fracta ſit, eas iterum inſtaurant.

§. 120.

Acida mineralia & ſolutiones metallorum his menſtruis factæ §. 96. largum aquæ ſaponatæ uſum exigunt. Alcalina quidem ſalia vires acidorum valde infringunt, ſummam tamen ſimul excitant effervescentiam, inteſtina lædentem, quam ob rem oleoſis juncta, ſub ſaponis forma mitius agunt. Alcalina quidem ſalia §. 106. & aqua copioſa diluuntur, &, acidis additis, ſubinde infringuntur. Halitus acidos vapores alcalino volatiles, alcalinos vero vel iis ſimiles putridos vapor aceti vel alius acidi temperat & corrigit.

§. 121.

Lenta venena ex plumbo ſimilibuſque parata. §. 99. ſeqq. vomitoria lenia poſtulant, quibus pur-

purgantia medicamenta ſimilia ſubjungenda ſunt. Corpus ſimul foveatur balneo, cum lacte & ſurfuribus, & ſapone crebrius fricetur. Saponacea medicamenta cum oxymelle, & acida alia leniora diuturno uſu proſunt. Quemadmodum enim hæc venena lentius operantur, ſic etiam diuturnus antidotorum uſus requiritur, quibus victus mollis & diæta lactea utiliter adduntur.

§. 122.

Viperæ, ſcorpionis ſimiliumque acriori veneno lædentium animalium, morſus §. 107. *ſeqq.* e vulnere non amplius ſuctione oris elicitur, ſed membrum potius ſupra læſam partem adſtrictius ligandum eſt, vulnus etiam ipſum protinus ſcarificandum & altius incidendum, quo poſtmodum irritantibus atque emollientibus medicamentis, ad largam & diu ſuſtinendam ſuppurationem diſponatur. Optimo quoque cum ſucceſſu, ferro candente admoto, pus movetur. Diaphoreticorum largus uſus nonnunquam profuit §. 119. Oleum olivarum & externe applicatum & interne propinatum, ut ſpecificum multis obſervationibus & tentaminibus probatum eſt.

§. 123.

Symptomata venenorum vehementiſſima ſunt inflammatio & ſpaſmus. Etſi igitur de irritante removendo ante omnia cogitandum, venæſectio tamen, quæ augmentum impedit, imprimis in plethoricis intermittenda non eſt. Ea etiam ob vaſa depleta ſpaſmo medetur, ſed opiata & theriacalia intermittenda non ſunt. Sitis & alia

in-

incommoda ipsis antidotis passim commemoratis corriguntur.

§. 124.

Hæc in universum tantum proposuimus, magna enim est copia corporum, venenata vi præditorum, & obscura eorum indoles. Quamquam autem melius esset, rerum harum cognitionem supprimere, quam institutis tentaminibus ulterius illustrare; cognitorum tamen venenorum effectus & antidota & alia, quæ per observationes singulares patent, a medicis studiose disquirenda sunt, quo ea quæ a veneficis in detrimentum aliorum miscentur & propinantur, in conservationem & solatium miserorum convertantur.

CAPUT III.

IMMINUTIO PLETHORÆ.

§. 125.

Pro varia vivendi ratione & dispositione corporum, plethora seu sanguinis & humorum abundantia ut sanguinea, obesa & imbecillium *Pathol.* §. 157. *seqq.* subinde colligitur, & per caussas in febrili evolutione sæpe subito turget massa sanguinis. His quidem venæsectione succurrendum est, sed victus ratio postea ita simul ordinanda, ut majus augmentum impediatur.

§. 126.

Plethora vera ſanguinea *Pathol.* §. 30 & 307. unicum ferme & promptum a venæſectione auxilium habet, imprimis ſi abundantiæ ſanguinis in variis hominibus accommodata eſt. Vaſis enim cruoris depletis & non nihil contractis, progreſſus humorum ad ſecretoria & alia ſubtiliora vaſa liberior fit, & tandem æquilibrium inter ſolidas & fluidas partes reſtituitur.

§. 127.

In plethora obeſa *Pathol.* §. 30 & 308. venæſectio quidem non adeo paratum continet auxilium; cum vero ſolidorum robur in vaſis ſanguineis quodammodo reſtituat, reſorptio in vaſis minoribus & cellulis in quibus humores abundant facilior redditur, ideoque cruor melius denſatur, eoque aucto, reliqui humores ſubinde imminuuntur, ex qua re cum florido ſæpe corporis habitu æquilibrium ex humorum omnium elaboratione reſtituitur.

§. 128.

In plethora imbecillium *Pathol.* §. 31 & 109. venæſectio inſtituenda non eſt, cum enim ſanguis tantum augeri videatur & cruor omnino deficiat, hoc modo nimium minuitur, & elaboratione reliquorum humorum, imprimis nutrientium, non ſuccedente, debilitas creſcit. Interdum tamen ſi impetus humorum ex variis cauſſis vehementior fuerit, vel hæmorrhagia immineat, quæ magis debilitat, venæſectio ſymptomata compeſcit, ſed aliis

aliis postmodum auxiliis, imbecillæ vires confirmandæ sunt.

§. 129.

Plethora febrilis *Pathol.* §. 32 & 310. sanguinem, motu intestino turgentem & incalescentem, ostendit, in ea itaque vel largis vel repetitis etiam sanguinis missionibus, humores turgescentes reprimuntur, vasis nimirum ad robur suum recedentibus & fluida recte moventibus. Caveat tamen medicus, ne vires nimiis cruoris evacuationibus infringat, sed, si signa humorum, liberius circulantium, e pulsu & excretionibus apparent, ab iis desistat.

§. 130.

Venæsectionis autem necessitas ex signis plethoræ *Pathol.* §. 306. *seqq.* intelligitur, quibus & copia sanguinis subducendi & tempus recte definitur. Curatoria enim tum, cum sanguinis copia urget, non intermittenda est, & prophylactica etiam symptomatibus variis imminentibus, languore, calore, somno inquieto cet. definitur ac tum demum admittenda est, cum aliter æquilibrium motuum restitui nequit.

§. 131.

Quoniam vero multi homines ad vernalem, vel autumnalem, vel ad utramque adsueti sunt, & ejusmodi consuetudines veram tandem necessitatem sanguinis mittendi inferunt, ea quidem interdum concedenda est. Quoniam tamen sæpe ut

 super-

ſuperflua nocet, eo reſpiciendum eſt, ut, diæta univerſa recte ordinata, venæſectio minus neceſſaria fiat. Vernali tempore & tum, cum ex lentore humorum hiemali languor accedit, is aliqua ſanguinis evacuatione corrigitur. Autumnalis ex ſignis univerſalibus § 130. indicatur.

§. 132.

Victus jurulentus, ex carnibus gelatinoſis paratus, plethoricis omnibus diſſuadendus, & largior ejus uſus plane interdicendus eſt, quod copiam & motum ſanguinis nimium auget. In omni igitur plethora victus vegetabilis magis convenit, tenendum tamen eſt, cerealia ſemina & ex his præparatos cibos plus nutrire, quam ob rem cum pane bene cocto olera & fructus horæi, qui ſimul blanda refrigerante & roborante vi pollent, optimum nutrimentum præbent. Stimulus ex nimiis condimentis, præcipue aromaticis, plethoricos ſanguineos & imbecillos magis quidem lædit, quod eos ad nimiam alimentorum copiam ſumendam impellit.

§. 133.

Victus vero parcior omnibus plethoricis veris convenit, ac præſtat adeo, largius nutritos moderatum interdum jejunium interponere, vegetabilia nempe parciora cum pauca carne aſſata ſumant, potumque tenuem jungant, hauſtu forte vini boni vel cereviſiæ interdum conceſſo. Jejunia eorum, qui, victu jurulento relicto, potius viſcido ex piſcibus & farinaceis non fermentatis, cum vel ſine ovis & oleo coctis utuntur, minus ſalutaria

ſunt. Quamquam enim plethoram imminuere videntur, cacochymiam tamen augent, in quam plethorici obeſi & imbecilles quam maxime proclives ſunt.

§. 134.

Sanguis in plethoricis ſanguineis denſior, in obeſis viſcidior eſt, utriſque igitur potus aquoſus maxime ſuadendus eſt, etſi ventriculus obeſorum potiſſimum fermentati potus ſtimulo carere nequit. In his ptiſanæ, ex radicibus incidentibus & reſolventibus paratæ, vel vini boni & cereviſiæ moderatus uſus potui aquoſo interponatur. Serum lactis acidum & dulce, nec non lac ebutyratum, omnibus plethoricis ſuo modo commendari poteſt.

§. 135.

Hoc ſerum lactis plethoricis imbecillis maxime convenit aqua enim ſimplex & bona, ſanguinem jam nimis tenuem magis diluit, nec eidem rite admiſcetur. Etſi vero potus fermentatus eorum ſanguinem, in phlogoſes pronum, magis exagitat, parcior tamen interpoſitus & analepticus eſt, & fibrarum robur inſtaurat.

§. 136.

Vita otioſa cum victu largo omnem plethoram, præcipue tamen obeſam, auget, exercitio autem corporis circulatio ſanguinis & humorum eorumque elaboratio maxime juvatur, & nimia humorum copia per varias ſecretiones diſſipatur. In

 obeſis

obesis motus corporis, etsi maxime necessarius; difficulter peragitur; frictio, quæ plethoricis a debilitate salubris est, in obesis vix idoneum plethoræ remedium est.

§. 137.

Animi tranquillitas & moderatus labor plethoram sæpe alunt, major tamen contentio cogitandi & laborandi vires excitat & superfluos humores dissipat, imprimis si victus ratio & vicissitudines laboris ac quietis recte dividantur. Vehementes animi affectus plethoricis obesis parum, sanguineis vero & iis, qui a debilitate tales sunt, valde nocent.

§. 138.

Quicquid secretiones corporis serosas auget, id semper sanguinis & humorum copiæ detrahit. Sudor corporis motu & interdum medicamentis excitatus, plethoricos obesos magis levat, quam alios; tamen, si nimius est, fluidissimam humorum partem subducendo, ad cacochymiam & obstructiones minimorum vasculorum disponit. Purgationes alvi per drastica adeo medicamenta plethorici obesi interdum ferunt, antiphlogistica tamen laxantia ex tamarindis, manna & salibus, sed, rhabarbaro interdum addito, aut si leniora sint, etiam repetitis vicibus exhibita, magis conveniunt. Hæc & similia etiam plethoricis veris & debilibus propinari possunt.

CAPUT IV.

CORRECTIO CACOCHYMIÆ.

§. 139.

Cacochymia, quæ depravata humorum mixtio est *Pathol.* §. 34. *seqq.* ad curatoriam indicationem magis pertinere videtur; quoniam autem & in ſanis diſpoſitio ad eam augendam obſervatur, & hi, ſanguinis & humorum incipientes depravationes a medicis in curationibus vernalibus & autumnalibus mitigari poſtulant, de iis hoc loco in univerſum agimus. Monemus tamen, in his nihil certi eſſe, cum depravata humorum indoles cujuſvis corporis ſigillatim examinanda ſit.

§. 140.

Si quis præcipuas ſani hominis functiones, pro virium ratione, ſine languore & cum aliqua conſtantia efficit, tamen maculæ & puſtulæ cutaneæ, & faciei, imprimis circa palpebras & labia color lividus, ſanguinem & humores peregrinis & male mixtis particulis inquinatos eſſe oſtendunt, tum ejus vitæ ratio & præcipui diætæ errores, crebrius commiſſi, a medico diligenter inveſtigentur, & his ſollicite evitatis, univerſa humorum dyſcraſia diluentibus ita corrigatur, ut peregrinæ,

&

& noxiæ particulæ per varia colatoria emoveantur.

§. 141.

Primaria quidem cura, diætæ errores corrigens, §. 78. *seqq.* maxime difficilis eſt, cum varia vivendi ratio, imprimis victus diverſitas cui plures adſueti ſunt vel ei adſuefieri tenentur, accuratam cauſſarum inveſtigationem vix admittunt. Niſi vero hac ex parte medicus amicorum ſuorum ſanitati proſpiciat, depravatio humorum nunquam penitus tollitur, ſed leviſſima initia ita per annos increſcunt, ut tandem acuti morbi, ſi ingruunt, ægrius tollantur, aut peſſimi morbi chronici ſubinde generentur. Medicus igitur in examinanda & corrigenda labe, humoribus inhærente, ſemper cum cura verſetur.

§. 142.

Humorum dyſcraſia diluentibus quidem præcipue corrigitur, ſed ſpiſſitudo eorum & varia acrimonia præterea blanda reſolventia poſtulat. Hinc vernali potiſſimum tempore, ubi humorum circulatio & blanda perſpiratio aere puriori adjuvatur, infuſis & decoctis quamlibet cacochymiam temperare & delere poſſumus.

§. 143.

Ideo infuſa calida plantarum leniter amaricantium & aromaticarum, oreoſelini, ſcordii, veronicæ,

nicæ, betonicæ cet. bis diebus ſingulis, vel ptiſanæ leniter reſolventes & acrimoniam demulcentes, ex radicibus chinæ, ſaſſaparillæ, ſcorzoneræ, fœniculi cet. una cum potu ordinario; vel ſucci plantarum vernalium, taraxaci, cichorei, hederæ terreſtris, bellidis cet. cum ſero lactis vel juſculo tenui per aliquot hebdomadas matutino tempore propinentur, ſtrictiori diæta ſimul commendata.

§. 144.

Aqua pura frigidiuſcula, humores ſpiſſos & acres quodammodo quidem diluit, cacochymiam tamen omnem non immutat, ut multi arbitrantur, qui eamdem, ut medicinam univerſalem, commendant; intemperatius enim hauſta, tandem omnem humorum elaborationem impedit, & tenuitatem eorum, tandemque ſolidorum ſiccitatem relinquit. Diſſuadeant etiam medici nimium calidorum infuſorum & decoctorum uſum; etſi enim acres quædam particulæ, tamen & blandæ gelatinoſæ ſimul auferuntur, &, ſudoribus nimiis excitatis, ſolida ultra modum relaxantur. Sudoribus calidiore medicamento motis, ſucci plena corpora interdum ſublevantur, exſucca maxime læduntur.

§. 145.

Alvus libera ſemper ſervetur, vel diæta convenienti adjuvetur ut acres & noxiæ particulæ, per univerſalem hanc corporis cloacam, deriventur, nec ſanguinem & humores inficiant. Etſi enim alvus ſtimulantibus medica-

mentis non ſemper ſollicitanda eſt, cum crebriora & valida laxantia & humores nimium ad inteſtina alliciant, & horum robur deſtruant, non incongruum tamen judicamus, vernali tempore, lenioribus laxantibus prophylacticis, cuilibet homini convenientibus, alvum movere, quo hæc corporis excretio juvetur.

PARS

PARS IV.

INDICATIO CURATORIA.

§. 146.

Ad amplissimam, sed præcipuam therapiæ partem nunc accedimus, cum vitia in solidas & fluidas partes, vel in has conjunctas inducta, corrigere suscipimus. Etsi vero in corpore composito, cujus vita in actionibus mutuis solidorum & fluidorum consistit, functiones læsæ semper, & in medela simul attendendæ sunt; docendi tamen muneri satisfacere non possumus, nisi, correctione solidorum & fluidorum præmissa, ad morbos compositos considerandos progrediamur.

§. 147.

Hoc vero ordine progredimur ut primo solidorum & postea fluidorum vitiis medendi rationem proponamus, deinde morbos quosdam generales compsitos ex motu humorum perverso & obstructione vasorum & viscerum pendentes, removere tentemus. Dum vero in his corpori ægroto inducendis mutationibus, sæpe recte progredi non possimus, nisi vel saburra ex primis viis, vel sanguis & serum ex secundis viis evacuentur, & has evacuationes describere, & omnia ad praxin specialem dirigere convenit.

CAPUT

CAPUT I.

CORRECTIO SOLIDARUM PARTIUM.

§. 148.

Etſi vero, cum ſolida ex fluidis fiant & nutriantur, fluida primum conſideranda erant, tamen cum earum elaboratio a ſolidorum vigore pendeat, ideoque vitia ſolidorum, in corruptione fluidorum declaranda, ignorari non poſſint, in re, quæ in orbem tandem redit, definienda ita verſabimur, ut in ſolidis rigiditatem et ſtricturam, poſtea relaxationem & debilitatem, tandem continui læſionem examinemus.

SECTIO I.

RIGIDARUM ET STRICTARUM.

§. 149.

Solidorum rigiditas. *Pathol.* §. 52 & 325. in fibris, vaſis & partibus inde compoſitis, præcipue ſtrictiore corporis habitu, & fluidis parcis, denſis cognoſcitur. Cholerici ideo, magis tamen melancholici, ſenes, & a morbis gravioribus imprimis ſpaſticis convaleſcentes, hoc ſolidorum vitio laborare ſolent.

§. 150.

Strictura fibrarum *Pathol.* §. 54. & 328. a nervis pendet, qui per caussas validas irritantes, ad involuntarias, dolorosas, alternas aut continuas contractiones fibrarum muscularium efficiendas disponuntur. Hæc cum rigiditate aliquam similitudinem habet, & nos præcipue ad specifica nervis amica medicamenta attendere jubet.

§. 151.

Cum in rigidis corporis fibris partibusque eo respiciendum sit, ut cohærendi nisus, in particulis, fibras componentibus, imminuatur, hoc autem in machina corporis composita non effici possit, nisi ad fluidas partes simul respiciamus per quas solida mutantur, indicationes curatoriæ sequentes sunt. Sub æquali & moderato corporis motu fluida diluantur, & blande resolvantur, sic enim partes solidæ humectantur & non nihil emolliuntur. Stricturam nimiam fibræ antispasmodica compescant.

§. 152.

Quemadmodum autem præcipua rigiditatis caussa, in motu nimio posita est, sic quies, interposito motu moderato, iis, qui ex rigiditate laborant, præcipue convenit. Præterea autem, hæ diætæ regulæ accurate observentur. Somnum, qui eos fugit, omnibus modis alliciant, & foveant; in aere temperato, magis humido, quam sicco, magis frigidiusculo, quam calido, versentur; animi affectus, imprimis vehementiores, sedulo compescant

ſcant. His præcipue auxiliis blanda & æqualis ſanguinis humorumque circulatio & elaboratio conſervatur, ex quibus corpori humectatio & aliqua nutritio partium conciliatur.

§. 153.

In victu juſcula tenuia ex carnibus bonæ notæ, cum oleribus recentibus, mollibus, reſolventibus, ſcorzonera, cichorio, ſpinacia, aſparago, nec non farinaceis cerealibus cocta, eligant: ſed jurulentum ſpiſſum & multo magis viſcidum animalium & vegetabilium, quod ſpiſſos nimis humores, rigiditatem non temperantes, offert, fugiant.

§. 154.

Potui aquoſo omnis fermentatus eſt poſtponendus, interdum tamen ob ventriculi ſtimulos conſuetos admittendus; ſed nimis ſpirituoſus & imprimis concentratum ſpirituoſum interdicendum eſt. Potu calido interdum utantur, ſed non abutantur, & ptiſanas cum farinaceis et reſolventibus radicibus, crebrius quidem, ſed ſemper parca doſi hauriant. Sero lactis dulci vel leniter aceſcente refrigerentur, & interdum emulſionibus, ex amygdalis dulcibus, ſemine papaveris cet. paratis, utantur.

§. 155.

Diluentibus autem in potu propinatis, jungantur ſuo modo accommodata reſolventia, ſalia nimirum, nitrum, liquor terræ foliatæ tartari cet.

vel ſucci amari plantarum lacteſcentium, vel gummi ſaponacea varia ſub forma, quo, denſitate ſanguinis nimia reſoluta, hic meabilis reddatur, diluentibus facilior ingreſſus in humores, & in his æqualis diſtributio concilietur, quibus univerſa relaxatio efficitur.

§. 156.

Sed de his fuſius, cum viſcidi reſolvendi modum deſcribemus, nunc tantum monemus, leni alvi ductione interdum rigidum & ſiccum inteſtinorum habitum corrigendum eſſe, & cum olea preſſa vel nimium relaxent vel rancidum generent, acida lenia in cremore tartari, tamarindis & manna illis meliora eſſe.

§. 157.

Cum vero fibræ, rigidiores jam factæ, & canales, ſymphyſi coaliti, *Pathol.* §. 62. in ſenibus præcipue ita mutari nequeant, ut humoribus ubique pervii ſint, relaxationis effectus, qui commemoratis auxiliis obtinetur, humectationem tantum inferre videtur, per quam particulæ tenues, oleoſo aquoſæ, emollientes, aliis denſioribus interponuntur, ut fibræ, ad æqualem cohæſionem & moderatam elaſticitatem non reducendæ, flexiles modo fiant, & fluida inde blandius promoveantur, nec nimis denſentur.

§. 158.

Simili ratione & externæ partes, ut cutis, contextus celluloſus & ſubjectæ membranæ ligamen-

mentosæ & tendinosæ, nimia rigiditate affectæ, emolliuntur. Vapores quoque emollientes, ad nares, fauces, anum aliasque partes admissi, ea emolliendo relaxant. Etsi enim aquosæ mucilaginosæ & oleosæ particulæ, fibras per viam nutritionis non mutant, blanda tamen adhæsione humectant, vaporosæ tamen altius & per vias resorptionis penetrare videntur.

§. 159.

Præcipue autem ex plantis huc pertinent herbæ malvæ, mercurialis cet. altheæ radix, verbasci & liliorum flores, semina cerealium & alia farinacea, nec non viscidæ magis seminum leguminosorum farinæ. Præ reliquis vero seligantur eæ plantæ, quæ cum vi emolliente vaporosum antispasmodicum conjungunt, meliloti, chamomillæ & sambuci flores, farinæ seminum lini & fœnugræci, nec non gummi saponacea, pro interno usu sæpe laudata. Oleæ seminum & fructuum pressa, & lac & vitellum ovorum, nec non pinguedines animalium liquefactæ.

§. 160.

Medicamenta hæc externa varia ratione applicantur. Pulveres, ex nonnullis parati & cuti inspersi vel in sacculis involuti perspirationem fovent, & humores ad emolliendum idoneos alliciunt. Fortius agunt vapores, fomentationes, cataplasmata & emplastra, si blando calore adjuventur. Linimenta & unguenta, inungendo & fricando applicata, interdum utilia sunt, balnea vero & particularia & universalia viribus emollientibus

tibus referta aliis conveniunt. Vapor in cavitate abdominali recens mactati animalis ex calore blando & tenui viscido, rigidas extremitatum partes relaxat. An perspiratio vicina junioris & sani hominis, communicandis vaporibus sanis, rigiditatem senilem corrigat, dubium est.

§. 161.

Plurima ex his & stricturas spasticas corrigunt, quæ tamen cum non solum in rigida, sed etiam in laxa fibra observetur, & ab inæquali & nimis vehementi nervorum actione pendeat, *Pathol.* §. 57. antispasmodicis medicamentis moderanda & coercenda est. Castoreata, succinata, ambrata & moschata medicamenta hoc præ reliquis præstant, dummodo caussæ irritanti & idiosyncrasiæ ægrorum recte accommodentur. Nec opii, nec aliarum plantarum narcoticarum vires negligendæ sunt, dummodo eorum usus a prudenti medico dirigatur.

SECTIO II.

LAXATARUM ET DEBILIUM.

§. 162.

Laxitas solidorum, *Pathol.* §. 51 & 324. in fibris, vasis & partibus ex his compositis, præcipue e molliori corporis habitu, & fluidis copiosis viscidis, plus minus immobilibus, cognoscitur. Sanguineum igitur temperamentum, magis tamen phlegmaticum, laxitatem fovet, infantes & sequior

ſexus, & omnes deſidiæ dediti, hoc ſolidorum vitio laborare ſolent.

§. 163.

Debilitas ſolidorum *Pathol.* §. 53 & 326. a ſolo defectu vel inertia fluidi nervei pendet, neque ſolum in laxis, ſed etiam in rigidis fibris ſe exſerit, in utriſque igitur difficilem & languidam actionem efficit, quæ ſi vel maxime niſu quodam hominis aliquandiu intendatur, mox tamen languorem inſuperabilem relinquit. Hæc in febribus acutis malignis ſæpe ſubito oritur, & gravitatem morbi evidenter demonſtrat.

§. 164.

Quamquam vero laxitas & multo magis debilitas remediis nutrientibus & roborantibus, analepticis & ſtimulantibus, in indicatione vitali declaratis §. 39. ſeqq. vinci poſſe videntur, ex una tamen parte copia humorum ſeroſo pituitoſorum, quæ laxitatem alit, blande removenda, ex altera vero vis fibræ ultimæ non nihil ſuſtinenda eſt, donec nutritio univerſa per elaborationem humorum univerſam inſtauretur.

§. 165.

Ab evacuationibus igitur, imprimis alvinis, conſtitutioni cujuslibet ægri accommodatis, initium faciendum eſt, quas ſuo loco ulterius pertractabimus. Nunc tantum monemus, in hac corporum diſpoſitione rhabarbarina medicamenta ideo commendanda eſſe quoniam præter evacuandi vim blande roborant, nec ſiccitatem moleſtam inducunt.

§. 166.

Quod si præter seroso pituitosam cacochymiam, aliæ & graviores corpori molestæ sunt, difficilis & sæpe desperanda est curatio, cum enim earum correctio simul instituenda sit, morbus magis complicatus trahitur. Tentandum itaque est, an debilitas non tantum iis, quæ indicatio vitalis §. 39. *seqq.* docuit, sed, additis etiam nonnullis medicamentis, vim nervorum instaurantibus, excitari possit.

§. 167.

Est in hac re maxima virtus cortici peruviano tribuenda, qui, si bonæ notæ est, nullo modo adstringit, sed evacuationes magis juvat, quam cohibet, & vim elasticam & vitalem fibræ instaurat, quod certe ex usu infusi frigidi aquosi apparet. Serpentaria virginiana & valeriana vires nervorum in sustinendis actionibus minimæ fibræ quoque juvant, & reliquas curationes, debilitatem excitando sustinent, his itaque recte præmissis, tandem ad roborantia medicamenta, quæ laxitatem fibræ corrigunt, attendendum est.

§. 168.

Indicationi roboranti, quæ particularum, fibras componentium, majorem cohæsionem & nisum exigit, tum demum eventus respondet, cum vasorum actio in fluidis transmittendis juvatur. Particulis itaque nutrientibus gelatinoso lymphaticis non prorsus deficientibus, aliæ medicatæ blande roborantes afferuntur, quæ cohæsionem &

assimilationem efficiunt. Et si vero roborantia medicamenta, quæ ex adstringente indole cognoscuntur, ad primas tantum vias, nunquam autem ad minima vasa, pertingere videntur, non omnis tamen penetrandi vis iis deneganda est.

§. 169.

Motu & frictione corpora optime roborari posse, & fructus horæos subacidos & subadstringentes cum nutritione robur inferre, §. 56. *seqq.* ostendimus. Cum vero exercitatio corporis in ægris nulla locum habeat, nec frictio semper diu continuari queat, constrictio partium per fascias extremitatum, præcipue inferiorum, non sine fructu est, qua cellulæ, vasa & viscera, externe adjuta, interdum ad liquida transprimenda satis roborantur. Hæc certæ constrictio etiam ad alias partes extendi potest, nisi copia & dyscrasia humorum mechanicam hanc vim inutilem & noxiam reddant.

§. 170.

Aer temperatus & subfrigidus ut superficiem corporis universam roborat, ita etiam ægris, quorum habitus cutaneus tepore lecti relaxatus est, prodesse solet; sudores enim intra limites æqualis perspirationis coercet. Caute igitur admissus aer liberior gravioribus sæpe morbis & exanthematicis quoque levamen affert, neque enim secretionem cutaneam supprimit, sed ita moderatur, ut humores corrupti sæpe erumpant, nec ad internas sedes repellantur.

§. 171.

Aqua temperate frigida, cum frictionibus particularibus & balneis universalibus, cutim non solum roborat & sudores in perspirationem blandam mutat, sed ore hausta & primis viis & aliis internis partibus roborandis convenit. Sudoris itaque profusi, nec critici, sed symptomatici, qui totum corpus infirmat, efficax remedium est, spongiis, aqua frigida madidis, corpus fricare. In summa humorum malignitate hoc quidem non sufficit, sed, ea, si fieri potest, superata, robur balneis subfrigidis restituatur.

§. 172.

Roborandi effectus in balneis martialibus v. c. Lauchstadiensibus, & aliis magis cernitur, & balnea, scoriis ferri additis, parata similem ferme vim habent. Sed & hæc subfrigida sint, calida enim relaxant. In thermis & aliis aquis medicatis embroche (*Dusche*), admisso ad partem quamdam largo aquarum flumine cum impetu & frictione convenit. Stillicidia aquæ, aceto & sale ammoniaco saturatæ & ex alto loco demissæ, impetu & frictione partis discutiunt obstructos ex laxitate tumores, v. c. in genu articulo.

§. 173.

Si viscidi humores laxitatem alant, ideoque illi simul resolvendi & solida laxa roboranda sint, balsamica sic dicta tonica medicamenta egregium usum habent. Præter lignum guajacum & sassafras, radices pimpinellæ, imperatoriæ, angelicæ

cet. prosunt. Gummi laccæ & hederæ, succinum, myrrha & mastix huc referuntur, ex his enim præter vim resolventem, a gummoso resinosis particulis pendentem, fibras incitandi vis quoque animadvertitur. Priora in decoctis aquosis concentratis, omnia vero in solutionibus spirituosis efficacia sunt. Gummi laccæ sæpius ad gingivas laxas roborandas applicatur.

§. 174.

Omnes plantæ amaræ v. c. gentianæ rubræ radix, lignum quassiæ, absinthii, centaurii minoris, trifolii fibrini, cardui benedicti herbæ cet. ob abundantiam particularum terrestrium, salinis intimius junctarum, roborandi vi pollent, & cum in infusis & decoctis nauseosa nimis sint, in extractis & variis inde præparatis medicinis cum fructu propinantur. Imprimis vero herba & summitates millefolii, non adeo amaræ & nauseosæ, effectu simili laudatur, & ab imbecillis etiam cum jusculis tenuibus coctæ sumuntur.

§. 175.

Quemadmodum autem cortex peruvianus sive chinæchinæ debilitatem corrigit §. 167, sic multo magis robur elasticum restituit. Ab universa hac ejus virtute plurimæ aliæ, a medicis laudatæ, imprimis antiseptica pendet. Præcipue autem motus febriles vel temperat vel sustinet; quæcumque enim sit dyscrasia humorum, febrim movens, ea tamen mutari & subigi potest, si robur solidarum partium in minimis servetur. In inopia tamen & malignitate humorum, & ubi solida non

rela-

relaxata ſolum, & quodammodo debilitata, ſed omni vigore deſtituta ſunt, hoc remedium non valet. In macilentis & ſiccis, & ultimæ nutritionis defectu, interdum plus nocet, quam juvat. Si, durante ejus uſu, ſe & excretiones liberæ manent & inſtaurantur, auxilium certius expectandum eſt.

§. 176.

Quemadmodum autem imbecillis infuſum frigidum commendavimus §. 167. ſic concentrata infuſa vinoſa & decocta aquoſa iis inſerviunt, qui vires non prorſus depreſſas, habent, imprimis ſi in ſtatu convaleſcentiæ, poſt validas febres alioſque morbos, cum nutritione blanda robur partium reſtituendum ſit. Extractum ejuſque ſolutio in aqua cinnamomi & ſimilibus non adeo efficax videtur, & iis forte tantum concedendum eſt, qui magnas medicamentorum doſes reſpuunt. Si functiones primarum viarum adhuc vigent, pulvis etiam, vel aqua ſubactus vel electuariis involutus, utilis eſt.

§. 177.

Etſi vero cortex peruvianus præ reliquis medicamentis roborantibus laudatur, ſunt tamen & alia medicamenta: quæ interno uſui accommodata, roborantem tantum, non fortiter adſtringentem, vim habent. Sic acida vegetabilia & acetum ipſum roborando ſæpe diaphoreſin excitant. Vina etiam auſtera rubra, pontac dicta, & nobiliora alia his ſimilia, præterea etiam analeptica & roborante vi pollent. Ex cydoniis parata medica-

menta, succi acaciæ & aliorum fructuum subadstringentium v. c. rob ex sorbi & corni baccis paratum, laudari quoque meretur.

§. 178.

Tamariscus, fraxinus, pentaphyllum, tormentilla, bistorta, lapathum, sanicula, pyrola, alchemilla, aliæque plures plantæ, in materia medica indicatæ, in corticibus, radicibus & herbis vires subadstringentes habent, &, dummodo aptis medicamentorum formis propinentur, usu quoque interno prosunt.

§. 179.

Etsi vero hæc & alia medicamenta simplicia, vel largo vel diuturno usu siccant, & potissimum viis primis hoc vitium inferunt, externo tamen usu sæpe utilia sunt. Sic balnea universalia & partialia, epithemata humida & sicca, ex his parata, vel cum spongiis vel pannis laneis ad partes roborandas applicata, leni stimulo & evidenti adstrictionis sensu robur fibrarum augent. Suffitiones ex succino, mastiche, ladano cet. & calore, & particularum resolutarum indole ad tumores œdematosos adhiberi possunt, nisi interna partium dispositio hæc medicamenta dissuadeat. Epithemata quidem in aqua coqui possunt, addito tamen vino rubro & aceto.

§. 180.

Et acida mineralia huc referri merentur. Terris nobilioribus bolo armenæ & terræ lemniæ, non

non tantum ex terrestrium & martialium particularum vi, sed ex acido quoque adhærente roborandi efficacia tribuenda videtur. Multi commendant lapidem hæmatitem, quem tamen minus solubilem judicamus. Alumini præter vim resolventem etiam roborantem esse, varia tentamina ostenderunt.

§. 181.

Vitriola martis vel nativa & depurata, vel arte facta, quæ martis particulas, acido solutas, continent, non solum externo, sed interno quoque usui destinata sunt, etiam aquis fontium medicatorum varia ratione admixta, roborant. Etsi vero in Egranis & Selteranis præcipue fontibus parciora reperiuntur, & mitius agunt, in Pyrmontanis tamen & Spadanis evidentior eorum vis percipitur. Vitriola veneris, externo usui destinata, robur quoque fibris conciliant.

§. 182.

Martis quidem limatura ob densitatem iners medicamentum videtur, sed, quoniam in primis viis solvi potest, id quod vi acidi vegetabilis in iis interdum subsistentis, fieri cognoscimus, in pulveribus & pilulis, cum extractis amaris & gummi saponaceis roborantibus non sine fructu propinatur. Ejus etiam solutiones cum menstruis v. c. vino rhenano, & in tincturis martialibus recte præparatis egregios effectus monstrant, dummodo dosis satis larga fuerit.

§. 183.

Efficacia autem martis non in primis viis tantum ſubſiſtit, ubi eo ſolutæ fœces alvinæ nigro colore tinguntur, ſed obſervatione conſtat, hanc ejus vim roborantem altius penetrare, & lymphæ tenacis & viſcidæ, a laxitate partium pendentis, remedium eſſe. Imbecillis quidem corporibus exhibetur, dummodo non prorſus ſicca ſint, in his enim ſe & excretiones magis cohibere, quam juvare videtur.

§. 184.

Multi ſunt morbi, a nimio, imprimis jurulento victu, abuſu potus calidi et vita otioſa originem trahentes, qui laxitatem partium inducunt. Cum itaque humores, non ſatis elaborati lympham tandem tenacem reddiderunt, non ſolum reſolvendis, ſed ſimul roborandis ſolidis corrigendi ſunt. Nec nutritio eorum, qui morbo gravi debilitati ſunt, recte procedere poteſt, niſi roborantibus medicamentis juvetur. In noſtris itaque ægris neglectus potius, quam abuſus horum medicamentorum vituperandus eſt. Reſpiciat tamen medicus ſemper ad temperamentum ægri & morbi differentias, ita enim de noxa & auxilio roborantium facile convincitur.

§. 185.

Quamquam autem externus roborantium uſus in laxitate partium mitiſſimus videtur, & ideo nocere nequit, partes tamen, quibus applicantur, probe diſcernendæ ſunt; tumores enim interdum ra-

roborantibus facile discutiuntur. Quemadmodum autem in contextu celluloso subcutaneo humores coguntur, sic in tenuiore, ad glandulas folliculosas sito, multo magis in glandulis lymphaticis, blandum resorptionis negotium turbatur, & scirrhi nascuntur, si partes adstringentibus nimis adficiuntur. Etiam tumores arthritici, nimio roborantium usu tentati, saepe irresolubiles redduntur.

SECTIO III.

VULNERE DIVISARUM.

§. 186.

Vnitas soluta *Pathol.* §. 58. sive vulnus in genere multis modis differt, imprimis ratione partis & caussarum, quae illud efficiunt, varia nomina accepit. *Pathol.* §. 70. & signis suis cognoscitur. *Pathol.* §. 334. 335. Nos, qui fundamenta doctrinae chirurgicae, ut passim aliis in locis, sic hic potissimum ponimus, de laesione continui in partibus corporis omnibus in universum agimus.

§. 187.

Neque vero tantum vulnera mollium partium, varia ratione inflicta, sed etiam ossium vulnera & fracturas attendimus. Quorum sanatione minus prospere succedente, cum ulcera relinquantur, de horum etiam curatione ita dicemus, ut, indicationibus universalibus & remediis propositis, monita adjungamus, quae praecipua haec chirurgiae

giæ capita illuſtrant, curationesqne recte definiunt.

§. 188.

Vulnera pura ſanorum hominum naturæ beneficio ſanantur. Cum enim ſanguis & humores effluant, & vaſa læſa ſubinde conſtringantur, ſuperficies labiorum ſenſim tenui humore lymphatico irroratur, ex quo tandem cicatrix denſatur. Etſi vero tum quoque, cum fibræ & vaſa magis contrita, quam diſciſſa ſunt, & peregrinæ quædam partes inhærent, depuratio, humorum affluxu, efficitur, at ipſa conſolidatio ſequi poſſit, tardior tamen eſt curatio, quam chirurgi auxilium juvat & accelerat.

§. 189.

Ubi ergo vulnera, immiſſis particulis peregrinis, inquinata ſunt, extergendo, aut ſi hoc non ſufficit, ſuppurando depurantur. Difficilis eſt curatio vulnerati, qui impuris ſuccis, ad vulnus copioſius derivatis ſcatet; cum enim omnis cacochymia immutanda & corrigenda eſſet, quod brevi fieri nequit, aut ulcera generantur, aut ſanatio vulneris retardatur. Juvat eamdem attentio chirurgi in vulnere depurando, quies & moderatus calor læſæ partis, diæta accurata, imprimis in victus ſelectu, & derivatio blanda humoris acris & ſeroſi ad varia corporis colatoria.

§. 190.

§. 190.

Vulnus recens attente perlustretur, quo particulæ corporis lædentis, vel aliæ, cum eo introductæ, caute removeantur: sic v. c. festuca impressa, vel pulveris pyrii vel plumbi particulæ eximantur, ne inflammationem & spasmum leviorem, ut effectus consuetos vulneris, premendo & irritando, nimium augeant. Quod, si ab initio fieri nequeat, suppuratio, quæ post inflammationem nimis constrictas fibras separat, peregrinis particulis, cum pure remotis, vulnus purum reddit.

§. 191.

Levior inflammatio, in ore vulneris oborta, non reprimenda est, quoniam sanationem juvat, gravior autem suo modo coerceri potest. Præter venæsectionem, & in vehementiori inflammatione repetitam, parti ipsi dolenti medicamenta emollientia, quæ suppurationem accelerant, partibus vicinis, ad quas inflammatio excurrit, eodem modo, ut in sugillatione epithemata discutientia ex decoctis herbarum amararum non nihil aromaticarum v. c. absynthii, hyssopi, scordii cet. applicentur *). Propinentur interea temperantia acida, nitrosa cum diluentibus &, si opus est, alvus vel clysmate vel leni purgante ducatur.

*) „Differentia medicamenti, parti læsæ & confinibus applicandi omnino attendenda est, si enim „emollientia tantum applices, corruptio humorum „acceleratur, si discutientia sola, ora vulneris ex„siccantur.“

§. 192.

Accurate etiam attendendum & ex anatomica partium cognitione ac ſymptomatibus dijudicandum eſt, utrum vulnere arteria vel vena major, an nervus vel alia pars nervoſa dilacerata vel diſciſſa; an os, vel ex parte, vel ex toto fractum, vel ſede ſua demotum ſit, ut non tantum vulneri in univerſum, vel etiam partibus ſingulis proſpiciatur. Præterea etiam vulnus ſpecillo caute examinandum eſt, an in cavitatem corporis penetraverit, ut damna, imprimis ab effuſione & corruptione ſanguinis & humorum metuenda, caveantur.

§. 193.

Haemorrhagia levior non protinus ſupprimenda eſt, gravior vero, vel parte læſa obvolvenda, vel cavo vulneris linteis carptis ſiccis replendo, ſiſtitur. Arteria, pulſando ſanguinem per intervalla emittens, ex parte læſa, nec tota diſciſſa, penitus diſcindatur, ut oſtium ſe contrahat, vel fungo agarici, molliter præparati, oſtium prematur & obturetur, ne ulterius ſanguinem emittat. Major arteria læſa, quæ etſi oſtium quodammodo contractum eſt, magnam tamen copiam ſanguinis effundit, arripiatur & ligatura conſtringatur. Venæ læſæ protinus collabuntur nec, niſi magnæ & varicoſæ interdum comprimendæ, & ligandæ ſunt.

§. 194.

Monemus tamen, ſpiritum vini rectificatiſſimum, alioſque ſtipticos liquores, cum acidis paratos,

tos, vaſa nimium ſtringere & ſuppurationem futuram impedire: pulveres vero, tela araneorum & alia auxilia vulnera coinquinare, & diſquiſitioni eorum, ſi quidem opus fuerit, impedimento eſſe. Si in extremitatibus corporis præcipue magna arteria læſa eſt, aptis faſciis, imprimis faſcia tortili, ramus princeps, ex quo arteria læſa derivatur, comprimatur.

§. 195.

Nervus quoque, ex parte læſus, diſcindendus eſt, cum fibræ, nondum diſciſſæ ideoque vehementer tenſæ, dolores, ſpaſmos & inflammationes efficiant. Tendinum, membranarum aponeuroticarum ſimiliumque partium nervoſarum eadem eſt ratio. Cum vero diſciſſio vel fieri nequit, vel alia & grauiora incommoda infert, tum dolore per emollientia, aliqua vi anodyna ſimul prædita, ſopito, & ſuccedente puris geneſi, fibris nervoſis exſuccis ſeparatis, vulneri conſolidando locus conceditur.

§. 196.

Oſſium fractura, ſi partes vicinæ molliores parum læſæ ſunt, extenſione unius partis oſſis, & contræxtenſione oppoſitæ ita in tranquillum & naturalem ſitum reponitur, ut ſervata quiete extrema confracti oſſis coeant; ſi vero partes diffractæ vel ex vulnere eminent, vel a reliquo oſſe jam ſeparatæ hærentes fluctuant, inſtrumentis aptis decerpendæ & educendæ ſunt. Cum vero pars oſſis perioſtio nudata vel aere vel acri humore tacta emoriatur, exfoliatio ſive ſeparatio partis, mor-

mortuæ a ſana & viva patienter expectanda eſt, antequam vulnus conſolidetur.

§. 197.

Cum ea, quæ ad curationem vulnerum naturæ viribus & auxiliis internis præſtandam pertinent, §. 188. ſeq. indicaverimus, & diſquiſitionem partium, vulnere læſarum, chirurgo commendaverimus §. 190. ſeqq. mutationes etiam labiorum vulneris varias & leviores & graviores & medendi methodum deſcribemus, ut tandem de conſolidationis vulneris modo exponi poſſit.

§. 198.

Ubi labia vulnerum leviori quidem inflammatione turgent, ſed ſicca & rigida ſunt, blandis emollientibus fibras relaxare & ad affluxum humorum, ſuppurationi neceſſarium, diſponere convenit. Medicamenta vero in forma unguentorum, cataplaſmatum & emplaſtrorum ita adhibenda ſunt, ut labia vulneris pulvillis ex linteo carpto, qui unguentum excipiunt, tegantur, poſtea, ſi opus fuerit, emplaſtra & cataplaſmata iis imponantur.

§. 199.

Præter plantarum emollientium ſuccos & olea preſſa, pinguedines animalium puræ, non rancidæ, baſin medicamentorum exhibent. Olea preſſa cum plantis balſamicis digeſta v. c. oleum hypericonis egregii uſus ſunt. Cum enim oleoſa & pinguia nimis relaxent, & lenteſcentia ſint, vel vitello ovorum ſubiguntur, vel melle & terebin-

tina,

thina, in quibus acidum vegetabile eſt, non nihil acuuntur. Balſamus ARCÆI exemplo ſit, qui ex therebinthina, gummi elemi & pinguibus componitur; unguenti enim digeſtivi eſt, non ſolum emolliendo relaxare, ſed leni etiam ſtimulo affluxum humorum efficere.

§. 200.

Si nimium humorum ad vulnus affluit, nimiaque ſuppuratio fit, ſicca vulnerum obligatio prodeſt, quæ, ſuperfluos humores ſugendo, efficit, ut ora vaſorum, in vulnus hiantium, nonnihil anguſtentur. Aqua ſclopetorum ſi ſemiſpirituoſa & balſamica eſt, ſuppurationem moderatam conſervat. Pulvis myrrhæ, maſtichis & ſuccini vulneribus inſperſus, vel potius ex his paratæ eſſentiæ balſamicæ pulvillis applicatæ, magis ſiccant; his enim vaſa roborantur, affluxus humorum compeſcitur, & vulnera ad coaleſcendum diſponuntur.

§. 201.

Vulnera impura crebrius quidem abſtergenda ſunt, puriora vero & ad conſolidationem tendentia rarius obligentur, ne lymphaticus ſuccus nimis abſtergatur. Si itaque vaſa in fundo & margine vulneris ſatis denſata, humores tenues parcius tranſmittunt, ſenſim ita ſiccantur, ut, calloſis fibris intimius junctis, cicatrix formetur; quæ, quamquam ad ſanæ cutis indolem nunquam accedit, lente tamen exſiccanda eſt, ne nimium calloſa fiat, ſed, accedente tenui halitu, ita emolliatur, ut etiam perſpirationi locus aliquis ſit.

§. 202.

Labia vulneris & vicinæ partes neceſſaria inflammatione non ita tumentes, ut commoda ſuppuratio ſuccedat, ſed potius in laxo contextu celluloſo humores putridi hæreant, & prorepant, ideoque gangræna *Pathol.* §. 77. oriatur, epithematibus & cataplaſmatibus ex herbis amaricantibus & leniter aromaticis, §. 190. moderate calentibus fovenda ſunt. Magis expedit aromaticas plantas, ut rutam, ſalviam cet. eligere, pro ratione ægri & vehementia morbi, vel cum vino, vel cum aqua coquere vel acetum vel ſal ammoniacum addere.

§. 203.

Interdum ſi gangræna nimis ſicca eſt, quæ ſiccitati vulnerum medentur §. 197. *ſeqq.* interponantur. Quo autem horum medicamentorum vis altius penetret, cruſta gangrænoſa incidatur, & partes corruptæ ſubinde removeantur, nova enim inflammatio, & melior ſuppuratio, corruptas tandem partes a ſanis ſeparat, ulcuſque gangrænoſum purum reddit. Interea roborantia & cardiaca medicamenta febris moderandæ cauſſa propinentur.

§. 204.

Gravius malum eſt ſphacelus *Pathol.* §. 77. qui partes ipſas organicas penetrat, deſtruit & fœtidiſſima putredine reſolvit, quibus malis antiſeptica epithemata occurrunt, §. 201. quæ ſimul partes vicinas defendunt. Emortuæ vero partes altius conſcindendæ ſunt, ut, ſi fieri poſſit, pure per inflammationem moto, a ſanis ſeparentur. Si

pars

pars læsa conservari nequit, ibi præscindatur, ubi ea adhuc sana est, ne corruptio clandestina ulterius serpat. Si gangræna sicca est, & vires ad amputationem non sufficiunt, alcohol vini applicetur, quo emortuæ partes exsiccentur & corruptionis progressus cohibeatur.

§. 205.

Carcinomatica glandularum & partium similium vitia *Pathol.* §. 78. quæ, cum scirrhus in genesi sua non cohiberi, nec postea resolvi & discuti, nec exscindi potest, ex materia ejus acri & rodente, in vasis mota, oriuntur, sero demum tumore exscindendo sanare velle, inutile est, cum virus cancrosum, in corpore diffusum, facile recrudescat, & alia loca occupet. Externa & sæpe palliativa tantum cura applicatione acidorum mineralium dilutorum, quoniam putredinem cohibent, & ob dolores intensos vario narcoticorum remediorum usu, efficitur.

§. 206.

Ulcera, non tam maligna, quæ in habitu cutaneo proserpentia ad contextum cellulosum penetrant, nec bonum pus, sed ichorosam plus minus viscidam materiam emittunt, correcta internis medicamentis humorum depravatione, facile exsiccantibus ex herbis amaris cum calcis vivæ aqua decoctis, vel aqua phagedænica curantur: si vero crusta tenax ora ulceris cingit, si caro fungosa propullulat, superficies causticis, v. c. alumine usto, irritanda est, quo laxa nimis caro destruatur. Cum enim butyrum antimonii & lapis caustibus

chirurgorum nimis se diffundant, lapidem infernalem potissimum in hunc usum adhibent. Interdum expedit unguento digestivo, mercurii præcipati rubri dosin congruam admiscere, ut, crusta emollita & parte sana non nihil irritata & inflammata, suppuratione prægressa, consolidationi locus detur.

§. 207.

Ulcera vero sinuosa atque fistulæ *Pathol.* §. 79. horum medicamentorum usum non concedunt, nec enim insinuare se, nec applicari possunt, hinc sectione varia aperiantur, posteaque crusta scarificando, vel causticis deleatur, ut, leniter inflammata parte vicina, suppuratio succedat, qua puritas efficitur, cui exsiccatio succedit. Si vero secari nequeunt, arrodentis & inflammantis medicamenti v. c. spiritus salis ammoniaci, injectio interdum idem præstat. Nunquam tamen sectio & injectio fiat, nisi cavo ulceris accurate examinato, ne partibus vicinis læsis, major noxa oriatur.

§. 208.

Læsiones hactenus consideratæ, quæ molles partes profundius penetrant, ad ossa ipsa progressæ cariem inducunt. Duriora plus resistunt, quam spongiosa, si autem ex vitiatis humoribus & medulla, destructio ab interno ossis cavo extrorsum procedit, exostoses, tophi & gravissimum malum spinæ ventosæ seu pædarthrocaces, generantur.

§. 209.

Si caries ab externa caussa inducitur, exsiccatio & separatio laminarum, quam exfoliationem dicimus,

mus, facile efficitur, dummodo ſatis vigeat æger. Adivuantur tamen ſeparandis & perforandis laminis ſiccis, quo ſuccus nutriens eas facilius removeat, & novum perioſtium inducatur. Oleum caryophyllorum, euphorbii pulvis & eſſentia irritando, putredinem coercendo, & exſiccando, ſeparationi corrupti oſſis ſerviunt.

§. 210.

Medicus autem in progreſſu harum curationum externarum ex aliis doctrinæ noſtræ capitibus internam medendi methodum recte repetat & in febre moderanda, rigiditate & laxitate corporis mutanda, cacochymia, quantum fieri poteſt, corrigenda, indicationes recte formet & idonea medicamenta ſeligat, imprimis vero diætam idoneam præſcribat.

§. 211.

Letalitas vulnerum ex partis læſæ ad vitam ſervandam neceſſitate, ex depravata indole ſolidorum & fluidorum in ægro, & applicatione minus convenientium remediorum dijudicatur. In criminali vero jure vulnus abſolute lethale dicitur ſi pars ad vitam plane neceſſaria vitiata ſit, & humores vitales effluxerunt, ut in vulneribus cordis, majorum vaſorum, nervi principis cet. in quibus quidem nullum exemplum ſanationis præſtitæ proſtat. Reliqua vulnera, quæ in ſanis de reliquo hominibus accurato auxiliorum uſu unquam ſanari potuerunt, ſi tamen lethalitatem induxerint, per accidens lethalia dicuntur. Dubias lethalitatis definitiones medicina forenſis dijudicat.

CAPUT II.

CORRECTIO FLUIDARUM PARTIUM.

§. 212.

Vitiis ſolidorum hactenus conſideratis & medendi ratione in univerſum definita, fluidorum quoque vitia, tenuitatem, ſpiſſitudinem & acrimoniam ſigillatim examinabimus, ſic enim de læſa utrorumque actione mutua in progreſſu humorum per vaſa, ſequenti capite melius dici poterit.

SECTIO I.

TENUITATIS SIVE HUMORUM TENVIUM.

§. 213.

Tenuitas humorum, cacochymia aquoſa ſeu ſeroſa dicta *Pathol.* §. 38. ex ſuis ſignis cognita *Pathol.* §. 313. non niſi eos tentat, qui relaxata & debilia ſolida, indeque viſcera maxime infirma habent, quorum ſanguis non ita denſatur, ut oleoſi & gelatinoſi humores inde prodeant. Quamquam vero ſeroſa colluvies facile per colatoria ſecedit, tamen non augenda eſt medicamentis, cum corpora inde marceſcant. In univerſum potius eo attendendum eſt, ut, laxitate & debilitate ſolidorum correcta, robur vaſorum & viſcerum elaborationi humorum neceſſarium ſuſtineatur.

§. 214.

§. 214.

Cum in imbecillibus tenuitas ſit, vel certe humores nimis tenues, imbecillitatem & veræ nutritionis defectum inferant, ea, quæ de conſervatione virium per alimenta §. 42. *ſeqq.* in indicatione vitali declaravimus, recte obſervanda ſunt. Etſi enim acrimonia tenuitati facile ſe jungat, tamen ea, quæ de farinaceis vegetabilium & jurulentis animalium partibus, nec non de lacte declaravimus, abunde oſtendunt, acrimoniam iis ſimul obvolvi & temperari.

§. 215.

Medicamenta, quæ incraſſantia dicuntur & tenuitati opponuntur, ſunt viſcida, ut gummi arabicum, tragacantha cet. quæ, cum ſubigi nequeant, magis nocent. Ptiſanis ex chinæ, ſcorzoneræ & fœniculi radicibus adjiciatur radix ſymphyti, quæ cum blanda mucilagine aliquam vim roborandi conjunctam habet. Medicamenta ex calcibus plumbi & aliorum metallorum, quæ a nonnullis laudantur, non tam tuta, quam noxia ſunt incraſſantia, cum tenuitatem ſeri non corrigant, ſed lympham coagulent, nerviſque, quibus robur vitale excitari debet, vim inferant, minimaque ſolida nutriri non permittant.

SECTIO II.

SPISSITUDINIS SIVE HUMORUM SPISSIORUM.

§. 216.

Nimia humorum ſpiſſitudo, quæ pituitoſa & atrabilaria cacochymia continetur, *Pathol.* §. 39. *ſeqq.* & de cujus ſignis *Pathol.* §. 314. *ſeqq.* dictum eſt, non aquoſorum tantum & diluentium medicamentorum ingeſtionem, ſed ea quoque, quæ ingreſſum aquoſarum particularum in ſanguinis & humorum mixtionem juvant, poſtulat. De diluentibus igitur & reſolventibus agendum eſt, ita tamen, ut cum pituitoſi humores laxitatem, atrabilarii rigiditatem fibrarum inferant, ad correctionem jam ante declaratam ſimul reſpiciatur.

§. 217.

Aqua ſimplex omniſque potus aquoſus diluentem vim habet, non ingurgitandus tamen, ſed iterato & parco hauſtu ſumendus, ut ſenſim ſanguini & humoribus accedat & immiſceatur. Quamobrem non aqua pura, quæ in languore circulationis globulos, quibus admiſcenda eſt, prætterlabitur, ſed ptiſanæ variæ propinantur. Hæ ex demulcentibus, leniter reſolventibus & amaricantibus parentur v. c. ſcorzoneræ, fœniculi radicibus, herba veronicæ, betonicæ & ſimilibus. Interponatur etiam ſerum lactis vel acidum vel dulce, ſed in omni

omni hoc potu magis ad aquoſas, quam medicatas particulas attendatur.

§. 218.

Quoniam vero ptiſanis exigua quædam vis ſaponacea reſolvens eſt, potus etiam fermentatus tenuis, ex cereviſia, vino, ſimilibuſque interdum concedatur, qui altius penetrat & reſolvit, imprimis ſi qui iis adſueti ſunt. Cavendum tamen, ne potus fermentatus acida & fermentante acrimonia abundet, quæ ſpiſſos humores cogit, qua ipſa de cauſſa ſpirituoſus concentratus interdicendus eſt. Conceſſus etiam potus fermentatus interdum, aquoſo interpoſito, temperetur.

§. 219.

Aquæ diluendi cauſſa ingeſtæ reſolventem vim tribunt, eamque acuunt ſalia, quæ, ut hoc menſtruo optime ſolvuntur, ſic illud ita diſponunt, ut ſpiſſos humores penetret eoſque ſolubiles reddat. Salis communis uſus in alimentis hoc ſatis comprobat, & reliqua quoque ſalia præter illum, quem in primis viis edunt effectum, ſecundas quoque adficiunt. Cum autem varia ſit ſalium indoles, illa accuratius attendenda & diſtinguenda eſt.

§. 220.

Salia alcalina fixa v. c. ſal tartari & oleum tartari per deliquium, imprimis vero ſalia Tacheniana, viſcidum potenter penetrant, & acidam acrimoniam, ſi coagulo anſam præbuerit, invertunt. Efficacius quidem incidunt & reſol-

vunt falia alcalina volatila v. c. cornu cervi, volatile anglicum & fpiritus falis ammoniaci, fed calorem refolvendo augent. Æftum vero compefcunt & fimul refolvunt cremor tartari, ut fal tartari effentiale & acetum, attamen fimul coagula ab æftu orta refolvunt.

§. 221.

Ex acidis & alcalinis falibus varia enixa five media præparantur falia, quæ aqua foluta pituitam vifcidam penetrant & refolvunt, ut tartarus vitriolatus, tartarus tartarifatus & alia. Nitrum & fal prunellæ five polychreftum altius fe infinuant, & æftum quoque concitatum compefcunt. Liquor falinus, ex cremore tartari & alcali fixo paratus, fi falis ammoniaci pars ei adjicitur, potenter refolvit. Mitius quidam agit, fed tamen fubinde penetrat tartarus regeneratus, fi acetum cum alcali fixo recte faturatur & infpiffatur. Nec opus eft, hunc liquorem in terræ foliatæ tartari formam infpiffare, & poftea folvere, quo nomen liquoris terræ foliatæ tartari mereatur.

§. 222.

Potentiora refolventia funt tincturæ alcalinæ fi alcali fixum forti igne calcinatum, fervidum adhuc in fpiritum vini optimum conjicitur, & tincturam tartari acrem efficit. Huic fimiles videntur tincturæ antimoniales, quæ noftro quidem judicio, a conjunctione alcali cum fpiritu vini certiores vires, quam a fulphuris antimonii acceffione accipiunt. Etfi enim guftu acriores funt & ferme igneæ, largiore tamen aquofo vehiculo exceptæ,

æftum

æſtum non excitant, ſed uſu eorum viſcidum per urinæ vias commode ſubducitur.

§. 223.

Etiam plantæ amaræ, quarum unguinoſis & terreſtribus particulis ſalia adjuncta ſunt, humores ſpiſſos reſolvunt. Ut vero infuſa aquoſa, betonicæ, agrimoniæ, ſcordii, cet. mitius agunt, ſic decocta amararum v. c. trifolii fibrini, marrubii, centaurii minoris viſcidum efficacius penetrant & reſolvunt, ſed ob ſaporem nauſeoſum in extractis ſolutis vel pilulis melius ingeruntur. Recens expreſſi ſucci amararum lacteſcentium, taraxaci, ſonchi, cichorei, cet. utiliſſima ſunt, addita præſertim beccabunga aliiſque plantis aquoſis: ſed cum hauſti ſunt, juſculo præterea tenui vel ſero lactis opus eſt.

§. 224.

Stimulo quodam reſolventem vim augent naſturtinæ & aromaticæ plantæ, quoniam propter ſingularem mixtionem olei & ſalis facilius penetrant. Et naſturtinæ quidem v. c. cochlearia, ſinapi, naſturtium aquaticum & hortenſe, nec non aliæ plantæ ex tetrapetalis ſiliquoſis & ſiliculoſis, egregii uſus ſunt, ſi recentes tritæ vino vel aceto vini temperantur, vel ſucci expreſſi propinantur. Aromaticæ vero plantæ, quæ in radicibus, corticibus, lignis & ſeminibus vel gummi reſinoſas partes vel olea eſſentialia continent, calidiores ſunt, ſed maxime activæ. Utrum vero ab iis major vis ſtimuli ad ſolida accedat, an in mixtionem fluidi ſpiſſam quodammodo penetrent, dubium eſt.

Caute iis utendum videtur, cum calorem excitent & ſiccitatem inferant.

§. 225.

Herbas capillares, capillum veneris, rutam murariam, ſcolopendrium cet. tenuibus particulis reſolventibus & roborantibus præditas eſſe, experientia docuit, etſi nec ſapore, nec odore efficaciam hanc prodere videantur. Utimur autem infuſis earum aquoſis & ſyrupis, v. c. ſyrupo capillorum veneris. His ſimiles videntur pulmonaria & hepatica & lichenum quædam ſpecies, quibus vim viſcera aperiendi tribuunt.

§. 226.

Radices, cortices & ligna reſinoſarum acrium plantarum efficacius reſolvunt, & viſcidum penetrant. Hac enim vi pollent radices pimpinellæ, angelicæ, imperatoriæ, leviſtici, cervariæ cet. ligna & cortices guajaci, ſaſſafras cet. Horum uſus in decoctis aquoſis iiſque concentratis egregius eſt, & pauxillo ſalis tartari addito, aquæ vis in ſolvendo juvatur. Concentrata magis vis eſt, ſi ſpiritu vini vel tincturis alcalinis §. 221. ſolvuntur. Etſi vero tenaces humores magis reſolvuntur, ideoque pituitoſis ægris proſunt, propinari tamen ſimul debent ptiſanæ reſolventes §. 217, ut aquoſum diluens accedat.

§. 227.

Gummi ferulacea ſic dicta gummi ammoniacum, galbanum, bdellium, opopanax, ſagapenum cet.

cet. singulari aliqua vi viscidos humores movent, in pilulis enim exhibita vel oxymelle excepta, vel cum vitello ovorum soluta, ac infusis & decoctis simul haustis adjuta, viscidum primarum viarum non solum resolvunt, sed humores etiam per vasa lactea profluunt, ideoque sanguinem & humores attenuant. Praeterea etiam odore singulari oleum blandum specificum produnt, cujus vi nervos afficiunt, & spasmos mitigant, qui mobilitatem & facilem transitum humorum per vasa minima saepe impediunt.

§. 227.

Haec nervina vis, resolutionem juvans, iis potissimum plantis inesse videtur, quae, etsi venenatae sunt dosi exigua, sensim aucta, spasticis nervorum tensionibus medentur, & coagulum lymphaticum in subtilioribus, glandularum praecipue, vasis resolvunt. Huc itaque referri possunt, belladonna, cicuta aliaeque plantae similes, quarum vires tentaminibus medicorum & imposterum magis definiendae & variae aegrorum constitutioni accommodandae sunt.

§. 229.

Plurima ex his resolventibus medicamentis saponacea dici solent, v. c. gummi saponacea, quae partes aquosas salinas ita junctas habent, ut oleosas simul suscipiant, & ita non solum praecipuis mixtionibus humorum corporis animalis hac ex parte similes sunt, sed etiam spissiores blande penetrent, & resolvant, quamobrem etiam sapones ipsi huc referendi sunt.

§. 230.

§. 230.

Sapones, in usus hos medicatos adhibiti, hispanicus, venetus cet. ex oleo olivarum & soda praeparantur, vulgaris ex animalium pinguedine cum alcali cinerum, addita calce viva; ceteri, qui ratione olei & salis ingredientis differunt, similem & interdum majorem penetrandi vim habent. Quemadmodum vero resolutioni variae humorum resolventia, temere & promiscue adhibita, nocent, sic tum potissimum, cum acrimonia alcalescens & putrida in humoribus est, saponacea aliena videntur.

§. 231.

Ex regno minerali mercurius, antimonium & sulphur resolventibus accedunt. Et mercurius quidem, qui in cinnabari per sublimationem sulphuris nimis arcte conjungitur, nullam in aethiope minerali, per triturationem recte quidem praeparato aliquam retinere videtur vim resolvendi; ex qua re intelligitur, quales ejus vires sint, si inflammabilibus, pinguibus, gummosis & terreis vario modo jungitur, salibus vero intime combinatus mercurius vehementiores effectus edit. Mercurialia haec medicamenta, parca & repetita dosi exhibita, humores viscidos potenter resolvunt, illosque ut per alias vias, sic per salivales potissimum evacuant.

§. 232.

Antimonium crudum in regulina parte cum sulphure intime junctum, vel regulus antimonii medicinalis, viribus resolventibus moderatis pollent, & intimius usque ad lympham nimis viscidam pene-

penetrant. Sulphur antimonii auratum ſive kermes minerale fortius ſolvit, & ſtimulo non raro vomitum movet, reliqua medicamenta antimonialia, a mitiſſimo tartaro emetico uſque ad vitrum & hepar antimonii, ad vomitoria ſæpe draſtica & cauſtica medicamenta referuntur. Tincturas antimoniales jam dijudicavimus §. 222.

§. 233.

Sulphur vivum, ex phlogiſto & acido intime conjunctum, humoribus corporis noſtri non ita excipitur, ut viſcida reſolvat, quando vero cum variis oleis in balſamis ſulphuris conjungitur & ſolvitur, efficaciſſima reſolvendi vis & interno & externo uſu ſentitur. In imbecillis internus uſus vix admittitur, quod calorem intenſe auget.

§. 234.

Copioſa reſolventia medicamenta, hucuſque expoſita, non promiſcue exhibenda; ſed temperamento & conſtitutioni ægri, naturæ morbi & idioſyncraſiæ accommodanda ſunt. Et ſi in univerſum conſideramus, pituitoſa cacochymia alia poſtulat remedia, quam atrabilaria, quoniam cum priore ut plurimum laxitas ſolidorum, cum poſteriore ſumma rigiditas conjuncta eſt. Quamquam igitur illis apta roborantia, his blanda emollientia addi poſſunt, reſolventia tamen ipſa eodem modo ſeligenda & diſtinguenda ſunt.

§. 235.

Salia nimirum §. 219. *ſeq.* non tantum viſcida penetrant & reſolvunt, ſed ſtimulando etiam humores

mores alliciunt, & ſolida relaxant, quod vitium inteſtinis ſæpius largiore laxantium ſalinorum uſu inducitur. Amara imprimis extracta plantarum §. 223. lentius agunt, ſed robur ſolidorum quodammodo conſervant. Reſinoſis acribus §. 226. eorumque ſolutionibus aquoſis & ſpirituoſis, major incidendi & roboris excitandi vis eſt, dummodo humores mobiles adhuc ſint, nec excitata celeritas motus æſtum nimis augeat. Ex gummi ſaponaceis lentius quidem agunt, ſed laxitatem ſimul corrigunt, myrrha, gummi laccæ & maſtix.

§. 236.

In ſiccioribus vero corporibus, quorum primas & ſecundas vias viſcidum tenax atrabilarium obſidet, ſalia & per ſe & amaris aliis medicamentis juncta vim reſolvendi habent, præſtant tamen gummi ſaponacea §. 227. imprimis ea, quæ vi quadam emolliente pollent, ut ammoniacum, galbanum & opopanax, in quibus etiam antiſpaſmodica vis cernitur. Mellita ſaccharata, dulcia, quæ laxis corporibus nocent, his vere utilia ſunt.

§. 237.

Reſolventia autem hæc medicamenta non ſolum interne cum ſucceſſu propinari poſſunt, ſi præparatione pharmaceutica bene tractata fuerint, ſed externe etiam applicata vim penetrandi & reſolvendi exſerunt. Cataplaſmata, emplaſtra, epithemata & balnea, vim reſolvendi, internis remediis quæſitam, variis in morbis juvant, & unguenta etiam frictione applicata, imprimis mercurialia non tan-

imprimis mercuralia non tantum in partes, quibus admoventur, ſed etiam in univerſos humores agunt.

§. 238.

In topicorum medicamentorum uſu dubitet aliquis, utrum in habitum cutaneum tantum vel relaxando vel roborando penetrent & ita reſolutionem juvent, an ulterius in circulum humorum tranſeant. Hoc autem, quod nonnunquam evidens adeo & certum eſt tamen etiam in ceteris ob ſubtilitatem partium, & reſorptionis cutaneæ indolem ſtatui poteſt, imprimis cum tentamina accurate hoc ita eſſe oſtendunt.

§. 239.

Quoniam vero non tantum canalis alimentorum, & aereæ aliæque viæ, viſcido muco, ex glandulis folliculoſis ſecreto, obducuntur, ſed etiam ſanguis & humores aliquam eamque naturalem viſciditatem habent, cavendum eſt, ne uſus reſolventium in abuſum vertatur. Muco enim naturali in his vaſis nimis abraſo, non ſolum irritationes acris materiæ moleſtæ ſunt, ſed, humoribus etiam tenuibus nimis ſubductis, ſpiſſiores in minimis vaſis hærent & obſtructionum cauſſæ ſunt.

§. 240.

Multo gravius autem reſolventium damnum eſt, ſi humores gelatinoſi & lymphatici, quos ſolidorum debilitas non ſatis elaborari & diſtribui patitur, ſub ſpecie glutinoſi ſpontanei *Pathol.* §. 162. ad varia colatoria converſi, excretione hac ſummam

inferunt imbecillitatem. Quemadmodum vero hæ excretiones nullis resolventibus augendæ, sed roborantibus potius coercendæ sunt, sic, cum resolutio quædam necessaria est, selectus medicamenti, & auxilium a roborantibus non negligi debet, quod omnia resolventia quodammodo relaxant.

SECTIO III.

ACRIMONIÆ SIVE HUMORUM ACRIUM.

§. 241.

De acrimonia humorum corrigenda quædam §. 139. seqq. in universum proposuimus, ubi de corrigenda cacochymia diximus, quoniam vero de hoc humorum vitio, ut caussa prædisponente tantum egimus, nunc & curatoriam indicationem acrimoniarum accuratius perlustrabimus & cum in tanta earum varietate omnem doctrinam absolvere nequeamus, duabus subsectionibus & acidam & alcalinam, &, ex hac sæpe ortam, vel cum ea conjunctam, rancidam & biliosam, ut praecipua exempla, pertractabimus.

SUBSECTIO I.

ACIDI CORRECTIO.

§. 242.

Acrimonia acida *Pathol.* §. 42. ex victu vegetabili, præcipue in primis viis, collecta, sed subinde etiam

etiam in ſecundas translata *Pathol.* §. 316. *ſeqq.* atque ex ſuis ſignis cognita, imbecilles & quietos tentare ſolet, imprimis ſi victu jurulento prohibeantur. Hinc infantes & vita ſedentaria detentas fœminas ſæpe male habet. Etſi vero ætate provectiores & corpus labore exercentes, acidum ſubigunt & mutant, tamen ſi vegetabilibus aceſcentibus crebrius veſcantur, nimia acidi copia in primis viis colligitur.

§. 243.

Cum vero acidum non niſi ex primis viis lente ad ſecundas deferatur, in illis potiſſimum corrigendum eſt. Medicamenta itaque involventia vel abſorbentia propinanda, iiſque paulo poſt evacuantia ſubjungenda ſunt, ſic enim acre ex tubo inteſtinorum propellitur. Potu autem aquoſo diluente, & victu animali geneſis & collectio novi acidi impeditur. Illud acidum, quod quodammodo jam in ſecundas vias tranſiit, partim motu circulatorio circumductum mutatur, partim per varia colatoria ſecedit.

§. 244.

Acidum, in primis viis hærens, immutant terræ macræ calcariæ indolis, quæ vel nativæ ſunt, ut creta & lac lunæ cet. vel ex partibus animalium duris, interdum calcinatis parantur, ut lapides cancrorum, cornu cervi uſtum & conchæ omniaque oſtracodermata calcinata. Tamen nec recenter calcinatæ exhibendæ ſunt, quoniam rodunt, nec nimis tritæ, quæ non ſatis abſorbent.

§. 245.

Bolares terræ nobiles non tam acidum absorbent, quam una cum aliis acribus involvunt. Bolus armena, terra lemnia & aliæ margæ nobiles, lithomargæ etiam, non nimis induratæ, eamdem vim habent. Limatura martis etiam inter absorbentia referri potest, cum ab acidis soluta quoque roboret.

§. 246.

Sed terrestria hæc medicamenta copiosius ingerere, ut omnino, ita tum imprimis nocet, cum viscidum & glutinosum cum acido in primis viis hæret. Inde etiam purgantia medicamenta, præcipue rhabarbarina, his jungenda vel separatim exhibenda sunt, quo materia morbosa mota & mutata protinus expellatur. Infantibus præcipue rhabarbarina absorbentibus juncta, exhibere conducit.

§. 247.

Celeriori vi agunt salia antacida, alcalina fixa, sal tartari, cineres clavellati, oleum tartari per deliquium, &, quæ terra magis alcalina est, magnesia nitri. Salia ex cineribus plantarum, suppresso non nihil igne combustarum, præparata, magis inspissatione, quam crystallisatione densata, blandiora sunt non nihil saponacea ob residuas quasdam partes oleosas. Hæc tamen salia intestina suo modo lædunt, & acida nimis commovent, nisi copia aquæ convenienti solvantur & diluantur. Salia alcalina volatilia non tantam vim acidum immutandi habent, quantam fixa.

§. 248.

§. 248.

Acido mutato correcto & evacuato, victus ita regatur, ut occasio acidi gignendi removeatur, ideoque alimentis ex vegetabilibus, quibus vix carere possumus, animalis victus jungatur. Juscula & gelatinæ ex carnibus animalium, quæ vegetabilibus vescuntur, acidum magis obvolvunt, quam mutant, acidæ vero acrimoniæ potissimum expositæ sunt carnes ferarum, quæ multa agitatione exercentur, earum imprimis, quæ insecta deglutiunt, quippe quæ in alcalinam indolem magis vergunt. Ova etiam, varia ratione parata, imprimis vitellum, acidum temperant.

§. 249.

Jam ut aquosus potus omnem acrimoniam diluit, sic aqua pura eademque frigidiuscula, acidum præsertim corrigit: contra calidus potus relaxando acidum fovet, & ptisanæ cum farinaceis & radicibus demulcentibus & subadstringentibus coctæ, vel infusa plantarum resolventium illud ipsum clanculum inferunt. Quod si potui aquoso aliquid addendum sit, quod vires ventriculi sustineat, neque tamen acescat, cerevisiæ saturatæ, lupulo addito conditæ & bene fermentatæ, & vina dulcia meraca non cocta, ideoque suboleosa, ut hungaricum & alia calidarum regionum interdum eligere licet.

§. 250.

Vegetabilia omnia acescunt, imprimis si diutius coquendo acidum nimis evolutum sit. Etiam suc-

ci recens expressi plantarum nasturtinarum & alliacearum, quarum subacres oleosæ partes acrimoniæ acidæ contrariæ videntur, aliquid acidi habent. Amaræ tamen plantæ non adeo acescunt, & lactescentes resolventem simul succum continent. Olea, ex seminibus vegetabilium expressa, acidam acrimoniam involvunt, sed, cum solidas partes relaxent, sapones acido temperando magis conveniunt.

§. 251.

Corporibus, acrimonia imbutis, ab initio motus sæpius molestus est, ideoque nec in acrimoniæ acidæ abundantia vehementior motus convenit. Postquam vero acidum remediis hujusmodi quodammodo suppressum atque mutatum est, motu & exercitatione corporis id, quod reliquum est, facilius subigitur. Qui acido victu ex vegetabilibus & lacte tantum vescuntur, eumque, propter vitam laboriosam, in primis & secundis viis recte digerunt & mutant, optima fruuntur sanitate, nec acidi incommoda sentiunt.

SUBSECTIO II.

ALCALINI CORRECTIO.

§. 252.

QUamquam animalis mixtio in universum in alcalinam indolem vergit nunquam tamen propriis signis se prodit, sed rancidum & biliosum *Pathol.* §. 45. in canali alimentorum potissimum obvium & alcalinum putridum, *Pathol.* §. 46. in secundis præ-

præcipue viis genitum, vel contagio ſuſceptum, & ſi ſimilia videntur, ſignis tamen ſuis quodammodo dignoſcuntur. *Pathol.* §. 319. *ſeq.* quæ quidem acrimonia maxime e victu animali rancido, ſed & ex nimia humorum circulatione a motu corporis valido & continuato, vel morbi indole aucta generantur, & in corporibus rigidis & ſiccis præcipue evolvuntur.

§. 253.

Cholerici igitur & melancholici vehementioribus animi affectibus agitati, ejuſmodi acrimoniæ expoſiti ſunt. Quod ſi igitur in febribus, in primis acutis, humorum dyſcraſia vehementius moveatur, non ſolum ex primis viis tranſgreſſa, ſed & in ſecundis evoluta, varia & graviora ſæpe ſymptomata efficit, inflammatoriæ non recte curatæ ſanguinem & humores eodem modo afficiunt, ut putrida diatheſis oriatur, quæ etiam a variis contagiis ob nimiam humorum reſolutionem & attenuationem inducitur. In correctione igitur ad primas & ſecundas vias reſpiciendum eſt.

§. 254.

Quod ſi in primis viis natam acrimoniam putridam, rancidam & bilioſam ex ſignis ſuis cognoverit medicus, eam ſine mora ex ventriculo & duodeno blando vomitorio educat, ut ipecacuanha & oxymelle ſcillitico, quamquam & tartari emetici & ſulphuris antimonii aurati, doſes exiguæ & repetitæ ſæpe idem præſtant. His ſubjungantur demum purgantia antiphlogiſtica, tamarindi, manna, cremor tartari, quæ acida indole ſaburram acrem

& mutant, & subducunt; rhabarbarum, senna & alia an addenda sint, ex constitutione singulorum ægrorum indicabitur.

§. 255.

Primis viis ita purgatis, etiam acrimonia, ad secundas vias transgressa, temperanda est. Potu aquoso & tenui fermentato leviter acescente, v. c. cerevisia secundaria vel etiam sero lactis acido humores diluantur & corrigantur. Conveniunt etiam ptisanæ ex radicibus resolventibus & demulcentibus, bardanæ; graminis sassaparillæ cet. vel cum hordeo mundo vel avena excorticata coctæ, quibus & alia acida, passim jam memorata, adjici possunt.

§. 256.

Simili ratione & emulsiones seminum v. c. amygdalarum dulcium, cardui mariæ & cucurbitacea varia, oleo suo, acria quælibet involvunt, &, cum facile acescant, acrimoniam alcalinam quoque temperant. Pulticulæ tenues ex farinaceis, & decocta panis similiter, involvendo & mutando acri inserviunt. Attendat tamen medicus, ne oleosum acrimoniæ rancidæ generandæ occasionem præbeat, vel nimis glutinosum & spissum digestionis vias oneret & debilitet.

§. 257.

His jungenda est diæta lactea. Lac enim animalium, quæ herbis vescuntur, acido vegetabili præditum est, & tum per se, tum quoniam pars ejus

ejus oleosa & caseosa nocere posset, in sero cum acidis parato, vel in lacte ebutyrato, acrimoniam rancidam, biliosam & alcalinam facile corrigit. Aquosa vero lactis pars diluendo & æstum sitimque temperando, incommoda, ab acrimoniis his oriunda, optime mitigat.

§. 258.

Nec acetum fermentatione secunda paratum, negligendum est, quod vel in aqua dilutum, vel cum melle in oxymelle mixtum, & eodem modo, ut succus citri cum saccharo propinatum, acrimonias, lentum calorem excitantes compescit. Ob hanc caussam etiam cerevisiæ tenues, facile acescentes, & vina subacida ut rhenanum cet. in potu concedi possunt, dummodo moderatus usus sit. Cavendum tamen, ne acido nimio primas vias repleamus, & lædamus, sed paulatim illud ingeramus, ut subinde ad secundas vias transferatur, & humores, in putredinem proclives, corrigantur.

§. 259.

Acidum tartari in cremore & crystallis potui, variisque remediis pharmaceuticis addi potest. Ex salibus mediis nitrum potissimum commemorari meretur, quippe quod æstum, ab acrimonia rancido biliosa & putrida oriundum, lenteque crescentem temperat. Modica dosis acidorum omnium mineralium, vitriolici, nitrosi salisque communis, spiritus sulphuris per campanam cet: medicamentis analepticis adjici potest. Mitissima ex his sunt tincturæ florum papaveris rhoeados, bellidis cet. quæ cum phlegmate vitrioli parantur.

§. 260.

Omnia vero hæc auxilia tum potiſſimum proſunt, cum æger in aura frigidiuſcula verſatur, ne motus ſanguinis & humorum jam concitati externo calore magis exacerbentur; hinc & quies maxime neceſſaria eſt, ne acrimonia mota ſolidas partes nimium deſtruat. Animi quoque affectus vehementiores, qui has acrimonias commovent, coercendi ſunt, quod ut in univerſum, ſic potiſſimum de acrimonia bilioſa valet.

CAPUT III.

CORRECTIO MOTUS FLUIDORUM PER SOLIDA.

§. 261.

Cum motus fluidorum per ſolida, circulatione & ſuctione, fiat, eo vel aucto vel imminuto, non ſolum ad fluidorum, ſed etiam ad ſolidorum vitia reſpiciendum eſt. Quæ etſi ex doctrinis, hucuſque expoſitis, patere videntur, ſimul tamen functionum corporis potiſſimum univerſalium ratio habenda eſt ut eorum læſiones in motu aucto & imminuto recte dijudicentur, & remediis idoneis corrigantur. Obſtructiones tamen, inde nonnunquam oriundæ, ſectioni tertiæ reſervabuntur.

SECTIO

SECTIO I.

DE MOTU AUCTO.

§. 262.

Motus ſanguinis & humorum progreſſivus vi cordis & arteriarum efficitur, quæ actio fluidorum & copia & craſi ſolidorumque viribus reſiſtentibus ita dirigitur, ut cordis ſeu motoris principis vis vel creſcat, vel imminuatur. In ſyſtematibus vero venoſis & gelatinoſo lymphaticis, ſuctio facilior hunc motum juvat, languidior vero magis impedit. Sub vario enim hoc motu, inteſtinus a particulis mixti oriundus, & aggregatas fluidorum partes ceu globulos formans, ſimili ratione imminuitur & intenditur.

§. 263.

Igitur ſi motum ſanguinis & humorum intenſiorem compeſcere volumus, vel copiam eorum imminuimus, vel nimiam & ſæpe ſpaſticam ſolidorum reſiſtentiam & conſtrictionem infringimus; in univerſum vero humores ita reſolvimus & diluimus, ut motus inteſtinus liberior ſuctionis vim in ſyſtematibus venoſis & gelatinoſo lymphaticis juvet. Cujus quidem rei conſideratio *Pathol.* §. 72 & 204. therapiam febrium accurate definit.

§. 264.

In motu febrili aucto dijudicando præter humorum dyſcraſiam, diſpoſitio etiam ſolidarum partium attendenda eſt, quippe quæ vario modo incitatæ,

tatæ, circulum ſanguinis & humorum, elaborationem, inde pendentem, vel blande, vel cum aliquo vel nimio impetu intendunt. Sic omnino vis ſolidorum, motu progreſſivo, motum fluidorum inteſtinum excitat & dirigit. Interdum vero ſolidorum vi imminuta & prorſus fracta, inteſtinus motus nimis reſolutorius & deſtructorius efficitur, quæ motus aucti ratio celeritate quidem, ſed debilitate etiam pulſus declaratur.

§. 265.

Si igitur ex cauſſis externis excretiones ſeroſæ, imprimis perſpiratio impediuntur, urgente ſæpius calore externo, celerior fit humorum progreſſus, pulſu forti & pleno, gradus impetus declarante. In hominibus ergo, cacochymia non valde imbutis, circulatio ſanguinis aucta humores reſolvit, & ſe & excretionibus ſeroſis recte ſuccedentibus, copia humorum, cordi reſiſtentium, tollitur, & æqualis motus reſtituitur.

§. 266.

Si ſanguis magis denſatus fuerit, quam ut celerior humorum progreſſus ad colatoria expectari queat, motus potius humorum celerior interdum quidem remittat, ſed denuo intendatur, medicamentis ſalinis mediis, præcipue nitroſis, acidis, vel nonnunquam amaricantibus ac diluentibus, denſitas & dyſcraſia ita ſubinde reſolvitur & corrigitur, ut interdum aliquot, interdum plurium dierum decurſu receſſus particularum per colatoria ſequatur, & nimium humorum motum tandem refrenet.

§. 267.

§. 267.

Irregulares & sæpe nimis intensi fiunt motus, si tanta dyscrasia humorum fuerit, ut particulæ, male mixtæ, in intimis humoribus hæreant, quæ sensim in circulum humorum reductæ resolvendæ & mutandæ sunt, quo vel lysi lente dissipentur, vel crisi ad colatoria idonea deriventur. Tum ergo varia ratione, non solum resolventibus & diluentibus sed roborantibus etiam, stimulantibus & analepticis medicamentis, materia morbosa dissolvenda & promovenda est, ne propter nimiam malignitatem, vim nervorum prorsus infringentem, febres ad putridam indolem inclinare incipiant.

§. 268.

Idem valet de febribus exanthematicis, quæ ratione motus nimis aucti cum descriptis §. 265. seqq. mutationibus accurate conveniunt. Sunt enim varia exanthemata transitoria, quasi erysipelacea, alia benigna, alia maligna, pro diversa dispositione humorum. Et specifica etiam exanthemata, ut purpura, variolæ & morbilli non semper ejusdem indolis sunt, sed ex materia morbosa & dyscrasia, jam dudum corpori inhærente, suam acquirunt corruptionem plus minus malignam.

§. 269.

Sed viscida quoque & pituitosa sanguinis humorumque indoles, donec solidorum robur viget, post resistentiam, cum horrore conjunctam, circulum sanguinis vehementer intendit, quo, resoluto viscido, venæ sugentes, in quibus cruor fere stagna-

ſtagnabat humores promptius ad cor reducant. Nova tamen collectio viſcidi nimiam reſiſtentiam & inde celeritatem ſanguinis per intervalla inducit. Si viſcidum, tenui humore per motum auctum inducto, non reſolvitur, ſed ſtagnat, venæ ſuctionem & progreſſum ad auriculam anteriorem, & inde ad pulmones efficere nequeunt, ut æger, durante horrore, moriatur, nec motus auctus ſuccedat, quod in febre algida imprimis ſenum experimur.

§. 270.

Quemadmodum autem materia morbi acris & viſcida, febrim excitans & augens, non ſolum in ſecundis viis hæret ſed, vel ex primis eo derivata eſt, vel, durante diutius febre, eo ducitur, ita medicus de evacuandis his primis viis ſemper ſollicitus ſit, nec prophylactica ſolum, ſed curatoria etiam indicatione monitus, vomitoria & purgantia idonea exhibeat, vel clyſmata interponat, ut morbi fomes, motum nimis auctum excitans, evacuetur. Hæc vero medicamenta conſtitutioni ægri & materiæ morboſæ accommodanda ſunt.

§. 271.

In vario hoc progeſſu motuum, in febre auctorum, vel copia ſanguinis movendi, vel ſpaſmus in vaſis minimis impetum humorum ultra modum intendit. Ad ſanguinis ergo copiam imminuendam, ſtatim vena ſecanda eſt, antequam pulſus fortis in duritiem inclinet. Sanguis enim nimis denſatus reſolvi nequit, niſi aliqua ejus pars detrahatur. Copiam autem ſanguinis, vel una vel repetita venæ-

ſectione

fectione evacuandam, vires ægri, morbi augmentum & pulſus durior deſinit.

§. 272.

Etſi vero hac in re ad tempora morbi reſpiciendum eſt, ita ut in plethoricis veris ſanguineis prophylactice, &, ſi hoc febrim non ſatis moderetur, curatorie vena bis terve ſtatim ab initio ſecetur, tamen aliis quoque morbi temporibus, ubi materia, a febre mota, nimis turget, & reſolvi nequit, ſimul etiam pulſus tardus, ad duritiem tamen inclinans, percipitur, vena incidenda eſt. Caveat autem medicus, ne plenitudinem pulſus, quæ criſin inſtantem declarat, indicium motus nimis aucti eſſe credat, & intempeſtiva venæſectione morbi progreſſum turbet vel perniciem adferat.

§. 273.

Multis medicis communis error eſt, auctum nimis motum venæſectione compeſci, & dyſcraſiam humorum reſiduam, quæ febris cauſſa eſt, lente diſſipari poſſe, cum potius dyſcraſia, niſi febrili motu correcta fuerit, morborum chronicorum cauſſam contineat. Quemadmodum enim auctior motus digeſtionem & elaborationem humorum in ſanis juvat, ſic, febribus obortis, neque tamen ultra modum auctis, correctio cacochymiæ motu auctiore melius efficitur. Venæſectionis itaque effectus ſint, febrim moderari nec penitus ſupprimere, ſed vim reſolvendi relinquere.

§. 274.

§. 274.

In chronicis morbis acrimonia, ſpiſſis humoribus nimis involuta, febrim non excitat, ſed cum ea in progreſſu febrium acutarum, motu aucto, ex humoribus evolvitur, nervos ſtimulat, ſpaſmos inducit, & vim cordis ultra modum concitat. Tum vero ſi caſtoreata, nitroſa aliaque antiſpaſmodica non ſufficiunt, opio ipſo vel medicamentis compoſitis, quibus illud additum eſt, ſpaſmus ſolvitur. Caveat vero medicus, ne hoc ſopiente remedio in abundantia humorum, nondum imminuta, utatur. Minime vero ad febrim, per uſum opii intenſam, quæ tranſitoria eſt, ſed potius ad languorem, qui paulo poſt ſequitur, attendendum eſt. Etſi enim motus auctus ſupprimitur, ſimul tamen coctionis & criſeos progreſſus impenditur, ideoque morbis chronicis occaſio datur.

§. 275.

De febribus, quæ, humorum motu inteſtino aucto & vi ſolidorum fracta atque debilitata, oriuntur, putridis ſcilicet & lentis, quædam monenda reſtant. Eſt quidem ratione cauſſæ & progreſſus ſymptomatum inſignis earum differentia, poſſunt tamen præcipuæ curationis methodi, ſi iis locus eſt, breviſſimis indicari.

§. 276.

In putridis æſtus cum languore, ſudores viſcidi, excretiones difficiles, & maculæ cutaneæ, depreſſæ, ſubrubræ, reſolutionem ſanguinis & humorum imminentem declarant, quæ quidem ſymptoma-

ptomata, nisi corrigantur, continuo increscunt, & propter nervorum nimiam debilitatem, magnum virium defectum, tremores, spasmos vagos, atque deliria adjuncta habent. Tentandum itaque ab initio est, an diluentibus cum acidis & nitrosis putredo quodammodo temperari, camphoratis, succinatis & externe applicatis vesicatoriis, vis nervosa incitari, corticis Peruviani usu correctio putridi effici & simul robur solidorum restitui possit.

§. 277.

Quod si enim, his auxiliis adhibitis, aliqua spes sanitatis recuperandæ appareat, vigor solidorum restituitur, circulatio & elaboratio sanguinis & humorum juvatur, ut blandæ excretiones morbum dissipent, &, motu progressivo aucto, intestinus tamen temperetur. Sed tum, cum putredo cohiberi nequit, ardor, ceu sensus gravissimi caloris in universa corporis superficie omnem omnino crasin humorum turbatam corruptamque, putridus autem sanguis, in cellulas conjectus, corruptionem gangrenosam & sphacelosam indicat, quam etiam maculæ petechiales subcinereæ produnt. Sanguis ergo putridus, quem venæ nunc varicosæ sugere nequeunt, stagnando omnem circulum humorum sufflaminat.

§ 278.

Lentius quidem, sed a simili ferme solidorum minimorum debilitate, motusque intestini sanguinis augmento, febres lentæ oriuntur. Pus enim, interdum vero etiam serum acre, in circulum humorum receptum, non recte subiguntur, & per colatoria

expelluntur, ſed univerſa humorum maſſa, quam inficiunt, reſoluta, ſudores profuſos & alias excretiones diabeticas excitant, quibus omnis lympha diſſipatur. Niſi itaque ab initio morbi tenui nutrimento ex lacte, & juſculis animalium imprimis exſanguium, acrimonia temperari, ſimulque aliqua ſolidorum nutritio reſtitui, & blande roborantibus juvari poteſt, robur ſolidorum elaſticum prorſus deſtruitur, & macies cum calore inteſtino ægros ſenſim conficit.

SECTIO II.

IN MOTU IMMINUTO.

§. 279.

MOtu fluidorum per ſolida aucto, humorum dyſcraſiam corrigi, & acres particulas expelli, ex tractatione nunc abſoluta patet; quod ſi igitur hi motus langueant, medicus vel febriles paroxyſmos intendat, vel irregulares ita dirigat, ut, ſanguinis & humorum circulo incitato, coctio & criſis recte ſuccedat. Efficitur hoc, mobilitate fluidorum reſtituta & robore elaſtico & vitali in ſolidis excitato.

§. 280.

Cum vero immobilitas, humorum vel a cauſſa pituitoſa vel inflammatoria potiſſimum pendeat, *Phatol.* §. 204. auxilia his potiſſimum accommodanda ſunt. Si viſcidum in primis & ſecundis viis auctum lentorem humorum & frigus efficit, ſolidorum actio reſtitui nequit, niſi reſolventibus, præcipue ſalinis & amaris, medicamentis, diluentibus addi-

additis, fluida mobilia reddantur. Interea vero vomitoria & purgantia medicamenta, eaque nonnunquam fortiora, copiam viſcidi ex primis viis expellunt, eorumque ſtimulo ſolida ſimul ita incitantur, ut motus auctiores febrim ſuppreſſam reſtituant.

§. 281.

In nimia humorum & atrabilaria ſæpe tenacitate efficaciora ſelingantur & prioribus jungantur reſolventia, imprimis gummi ſaponacea, quæ etiam in quibusdam ægris medicamentorum mercurialium admiſtionem admittunt, majorem tamen ſemper vim habent, ſi ptiſanæ reſolventes & incidentes ſimul hauriuntur. His interdum interponantur roborantia, &, humorum aliqua mobilitate reſtituta, viſcidæ & acres particulæ reſolutæ ad colatoria deferantur. Excretionibus tamen per varias vias ſuccedentibus, ſolis roborantibus & analepticis vis vitalis & elaſtica reſtituatur, ut motus liberior, e bono elaborationis ſucceſſu, vires ſanitatis, juvet & augeat.

. 282.

In inflammatoria denſitate venæſectio copiam ſanguinis imminuit, & circulum humorum expeditiorem reddit, ita ut diluentibus, acidis & nitroſis medicamentis reſolutio porro fiat, ne diatheſis inflammatoria oriatur. Hoc autem cum ab initio fieri debeat, quando ſanguis nondum in vaſis hæret, ſed lentius movetur, multo magis attendi meretur, ſi lympha, ſanguini admixta, coagulatur. Si autem excretiones, libere ſuccedentes reſolutionem inflammationis factam eſſe, declarant,

tunc roborantibus vis ſolidorum porro excitanda eſt. Obſtructiones partiales, ad ſequentem ſectionem pertinent.

§. 283.

Etſi vero roborantia & analeptica motus humorum imminutos egregie excitant, tamen niſi de aliqua mobilitate fluidorum, & libero tranſitu ad colatoria conſtet, adhibenda non ſunt, ea potius medicamenta eligere expedit, quæ univerſæ ægri conſtitutioni & materiæ morboſæ conveniunt. Cauſſæ enim frigidæ calidiora aromatica, vinoſis & ſpirituoſis menſtruis ſoluta, & alcalina volatilia, calidæ autem non niſi acida, nitroſa, blande refrigerantia, opponi poſſunt. Champhora, ut præſtantiſſimum aromaticum medicamentum, & ſolidorum vires inſtaurat & fluida reſolvit, ideoque languidum motum accelerat.

§. 284.

His omnibus nervorum vigor, ad motus univerſales neceſſarius, inſtauratur, interdum vero horum vis irritantibus externis rubefacientibus & veſicatoriis ſuſtinenda eſt, quæ non ſolum, ſtimulo in externis partibus concitato, motus univerſi ſyſtematis juvant, & ſerum acre derivant, ſed ſuo modo ad humores ipſos penetrant, eorumque reſolutionem efficiunt, quod exemplo cantharidum ſatis conſtat.

SECTIO

SECTIO III.

DE OBSTRUCTIONE.

§. 285.

SAnguinis & humorum æquali diſtributione per vaſa, viſcera & organa ſanitas cognoſcitur, & conſervatur, ſi vero cavitates canalium augentur *Pathol.* §. 60. vel imminuuntur, *Pathol.* §. 61. humor trajiciendus ſtagnat & ſpiſſior redditur, ideoque vel in minoribus canalibus hæret, vel ad vicinas cellulas tranſit. Oriuntur inde variæ obſtructiones inflammatoriæ, *Pathol* §. 75. ſcirrhoſæ, *Pathol.* §. 78. œdematoſæ, *Pathol.* §. 80. quæ quidem cum ex ſignis ſuis cognitæ ſunt, *Pathol.* §. 132. *ſeq.* apte invicem diſpoſitis, medendi rationibus, ſupra jam declaratis, corrigi poſſunt.

§. 286.

Cum autem pro varietate humorum ſtagnantium & partium, in quibus hærent, inſignis ſit obſtructionum varietas, quæ, niſi ſingulas ſigillatim examinemus, recte definiri nequit, nos quidem ratione cauſſæ & viſcidam & inflammatoriam obſtructionem in univerſum conſiderabimus, cum medicus, non neglecta quidem fabrica & habitu ſolidarum partium, ad hanc tamen diſtinctionem præcipue reſpicere debeat.

§. 287.

In quocunque vero loco, vaſe, cavitate & viſcere obſtruens humor hæreat, accurate tamen

attendendum est, utrum caussa externa comprimens, an vasis fabrica læsa, an humor trajiciendus obstructioni occasionem præbeat. Si enim v. c. pars vicina comprimens caussa fuerit, illa prius removeatur, calvæ pars, cerebrum comprimens, ut caussa soporis vel convulsionis, levanda & removenda est, quo liberius humores commeare possint.

§. 288.

Obstructiones pituitosæ cum tenacitate humorum conjunctæ sunt, ex qua lenta eorum circulatio & infarctus, in variis vasis & contextu celluloso, his connexo, consequitur; cum enim solidorum laxitas vehementes stricturas non inducat, vera humorum stasis raro vel nunquam efficitur. Resolventia igitur medicamenta cum diluentibus viscidam humorum tenacitatem in universum resolvunt & transitum per quælibet vasa juvant, quare humores resolventes ad loca obstructa impellendi, & viscidum jam resolutum blande evacuandum est, quo stagnans in parte humor mobilior fiat, & circulatio & resorptio restituatur.

§. 289.

Analeptica cuncta stimulo blando solida incitant, eorum motus augent, & fluida, celerius propulsa, etiam ad loca obstructa ducunt. Roborantia vim vasorum magis intendunt, exigunt tamen majorem mobilitatem fluidorum. Eodem tempore locus, in quo humores hærent, vel languidius moventur, medicamentis externis resolventibus & discutientibus ita foveatur, ut humores, in corpore circumducti, ad partem obstructam magis dirigantur,

tur, & materiam resolventem ad partialem discussionem derivent. Juvant hunc effectum blanda partis frictio & exercitatio.

§. 290.

Humores, nonnihil resoluti, lenioribus tantum medicamentis evacuandi sunt: drastica enim tenues & ad obstructionem ulterius resolvendam necessarios nimium subducunt, quamvis enim obstructio universa visceris & partis cujusdam resoluta sit, in minimis tamen vasorum convolutionibus sæpe clandestinus infarctus remanet, non, nisi continuata curatione, removendus. Hinc non solum in evacuationis, sed & in usu analepticorum & roborantium, in motu partium & in febre nonnihil incitanda, prudens medicus caute versetur, quo, omnibus his recte applicatis, quidquid obstructum est, discutiatur.

§. 291.

Optime hoc declaratur exemplo pulmonum, pituitoso infarctu laborantium, & asthma excitantium, quod blanda resolutione & tussi humida tollitur. Quando, autem, quod interdum optimo cum successu fit, evacuatio sudorifera & alvina eo fine excitatur, ne omnis pituitæ vis ad pulmones derivetur, nimia sæpe evacuatione tenues humores subducuntur, & partiales obstructiones relinquuntur, quæ nodos in molli hoc viscere relinquunt. Circulo itaque sanguinis per varias caussas in pulmonibus incitato, inflammationes leviores motæ, scirrhis generandis occasionem præbent.

§. 292.

Si ſanguis ad partem vulneratam, contuſam, irritatam vel alio modo læſam fortius impellitur, & in ejus vaſis ita cogitur, ut a venis non expedite ſuſcipi poſſit, tumor oritur inflammatorius, cum quo motus univerſi ſanguinis intenditur, calor & febris concitatur, cruor denſior fit, & lymphatica pars ad coagula proclivis redditur. Tum ergo protinus larga venæſectione ſymptomata mitigare proderit.

§. 293.

Quoniam autem jam tum bona craſis ſanguinis vitiata eſt, particulæ male mixtæ, univerſali humorum circulo liberiori reddito, ſecretionibusque ſeroſis, quæ huc uſque impeditæ fuerant, nunc reſtitutis, per varia colatoria ſecedunt, ne novo impetu ad partem læſam inflammatio recrudeſcat. Juvant has excretiones antiphlogiſtica purgantia, & blanda perſpiratio per infuſa calida aquoſa ſcordii & ſimilium herbarum ſuſtinetur, reſolventia etiam ſalina, cremor tartari, nitrum cet. diureſin liberiorem reddunt.

§. 294.

Si motus inflammatorii non protinus compeſcantur, ſed ulterius urgeant, repetita quidem ſanguinis miſſione opus eſt, ita tamen moderata, ne febrim protinus ſupprimat, ſed reſolutorios motus relinquat. Et cum ſæpe non ſolum copia ſanguinis turgentis, ſed ſpaſtica fibrarum conſtrictio, imprimis in loco affecto, nimia ſit, antiſpaſmodicis

&

& opiatis recte propinatis, hæc refrenanda eſt, quo facto etiam moderatus ſudor dyſcraſiam humorum, ex inflammatione natam, diſſipat. Hæc tamen non, niſi paulo liberius commeante ſanguine, exhibenda eſſe ſtatuimus.

§. 295.

Poſtquam vero motus circulatorii mitigati tranquilliores eſſe cœperunt, reſolutioni humorum ulterius inſiſtendum eſt. Hæc per diluentia, ſaponacea & acidula medicamenta efficitur, quibus humores, nimio attritu acriores redditi, ad æqualem mixtionem reducuntur; ut autem novi humores accedant, nutrimenta facile digerenda, ex farinaceis potiſſimum cum juſculis animalium coctis, vel mollibus fructibus horæis, corpus iterum reficiant, & ipſe motus humorum frictione & moderato corporis exercitio nonnihil excitandus eſt, donec omnis obſtructionis generandæ motus ceſſet.

§. 296.

Interea dum univerſali humorum ad inflammationem generandam diſpoſitioni medemur, tumor inflammatorius ipſe non negligendus eſt. Si condenſatio cruoris ideoque etiam obſtructio, non adeo inſignis & in laxo corpore eſt, reprimentia ſubfrigida & roborantia ex aceto etiam lythargyriſato, & epithematibus ex herbis ſubamaris, aromaticis & leniter adſtringentibus cum fructu diſcutiunt: ſi vero gravior eſt infarctus, cataplaſmata & emplaſtra, ex emollientibus §. 159. *ſeq.* parata, nec nimis humida, ſed temperati caloris applicentur, cum enim rigida potiſſimum corpora inflam-

matione officiantur, fibris & vasis quodammodo relaxatis humoribus impactis liberior transitus conceditur.

§. 297.

Quemadmodum vero humores, nimis jam hærentes, roborantibus non cogendi, nec immobiles reddendi sunt, sic etiam emollientibus & relaxantibus non insistendum est, ubi aliqua spes discussionis apparet. Hinc vel illis vel his amara discutientia jungere convenit, §. 191. postea his solis insistere vel, si res exigunt, ad emollientia transire, tandem, circulo humorum liberiori reddito, iterum roborantibus §. 179. uti, quo partes, spasmis solutis, relaxatæ, justo robore recepto, recrudescentem inflammationem arceant.

§. 298.

Quod si resolutio nec internis, nec externis remediis teneri potest, pro universa humorum indole vel abscessus vel gangræna vel sphacelus succedunt, vel in glandulosis partibus scirrhus remanet. Hæc, si in internis corporis partibus & visceribus eveniunt, tristis & vix compescenda destructio sequitur, in externis vero aliqua salutis spes remanet, si ea, quæ §. 199. *seqq.* declaravimus, observantur, quæ tamen in therapia speciali clinica, & chirurgica suis locis uberius pertractabuntur.

CAPUT IV.

EVACUATIO PRIMARUM VIARUM.

§. 299.

Declaratis indicationibus curatoriis, quæ solida & fluida tum in se, tum in mutua actione & transitu per vasa, mutant & corrigunt; tenendum omnino est, tantam sæpe esse humorum, eorumque plus minus corruptorum, copiam, quæ corrigi nequeat, nisi aliqua pars subducatur. Non sufficiunt ea, quæ passim de hac re inseruimus, sigillatim igitur de variis humorum evacuationibus & nominatim de primis viis purgandis agemus.

§. 300.

In canali igitur alimentorum, a faucibus ad anum usque, non solum ex indole humorum viscidorum, rancidorum cet., sed etiam ex loco, ubi abundant & hærent, cognoscitur, utrum redundantia per os ejicere, an ad intestina crassa derivare & per anum expellere debeamus. De vomitu itaque & purgatione sigillatim agendum erit, ita ut, indicationum ratione exposita, remedia dijudicemus, & de modo, eorum exhibendorum dicamus; monitis tandem additis, non solum contraindicantia, sed etiam ea, quæ has evacuationes vel juvant vel compescunt, declaremus.

SECTIO I.

VOMITORIA.

§. 301.

Non ſolum alimentorum & potulentorum nimia farrago, quæ ventriculo diſtento digeri, ut debebat, nequit, vomitu rejicitur, ſed etiam humores viſcidi, acidi, rancidi & binioſi, in ventriculo non ſolum collecti, ſed in confiniis œſophago & faucibus, nec non duodeno hærentes, hac via eliminandi ſunt. Quemadmodum vero nauſea, ab his rebus oriunda, ventriculum commovet, ſic multo magis ſtimulus variorum medicamentorum, ita, ut ob nexum inſignem paris vagi, cum toto ſyſtemate nervoſo, & motus inverſus a pyloro ad cardiam & œſophagum fiat, & pectus cum abdomine totoque corpore concutiatur.

§. 302.

Materiam morboſam, in ventriculo & confiniis latentem, removendam eſſe, ſenſus repletionis & & ponderis in ventriculo, ructus interdum inſipidi, magis tamen nidoroſi & acidi, fœtor oris, amarus & nauſeoſus ſapor, ex nauſea oriundi conatus vomendi & vomitus ſpontanei cum rejectione viſcidæ, rancidæ & acidæ materiæ, tuſſis vehemens ſpaſmodica, ſimiles excretiones urgens, declarat. Venena quoque irritantia & nauſeoſa, nec non aliæ acrimoniæ, ex corpore in ventriculum converſæ vel in eo natæ, tum potiſſimum, cum impetuoſius ad inteſtinorum canalem tranſeunt, vomitu excitato vel adjuto, revocandæ & per os ejiciendæ ſunt.

§. 403.

§. 303.

Quoniam vero vomitus & viſcera pectoris atque abdominis & totum ſyſtema nervoſum vehementius concutit, non tantum materia in viſceribus abdominalibus, ſed aliis etiam in locis ſedens, eum indicant & ſyſtematis nervoſi excitationem poſtulant. Sic abdominalium viſcerum infarctus, a materia viſcida & atrabilaria ortus, dummodo eorum fabrica valida, nec corrupta ſit, concuſſione per vomitum facta, nonnunquam movetur & reſolvitur. Et ſaburra viſcida, pulmones infeſtans, vomitu agitatur, vomica, in illis collecta, rumpitur & pus evacuatur. Seroſa colluvies, ad cerebrum tendens, in apoplexia ſeroſa vomitu derivatur; nonnulli etiam obſtructionem retinæ in amauroſi interdum reſolvere hoc modo intendunt. In omnibus tamen his valentioribus vomendi concuſſionibus attendendum eſt ne nimio impetu nobiliſſima viſcera, ſuo modo jam læſa, prorſus deſtruantur.

§. 304.

Si corpus, vomitu commovendum, plethoricum eſt, venæſectio præmittatur, ne ſanguis vehementi impetu ad pectus & cerebrum protrudatur, & hæmorrhagiæ occaſio detur. Et materia viſcida & acris, vomitu e ventriculo rejicienda, diluentibus ac reſolventibus, ſalinis præcipue, ita diſponenda eſt, ut facilius rejiciatur. Cavebitur tamen, ne materiam morboſam, prima hac via evacuandam reſolventibus nimis cito ad canalem inteſtinorum, & ad ſecundas forte vias devolvamus.

§. 305.

Materia vero morbosa e ventriculo removenda, vel copiosius ingurgitata plenitudine urget, vel viscida & tenax interiori superficiei adhæret, vel acris irritans & nauseosa est. Ista ventriculum nimium distendens, solis sæpe frictionibus versus mediam partem emovetur; illa pondere & pressione molesta, acria stimulantia summe nauseosa exigit remedia; hæc ex corruptione acris, rodens & nauseosa facta, aut venena ingesta non nisi diluentibus, lubricantibus & leniter nauseosis medicamentis rejectione per vomitum juvantur.

§. 306.

Stimulantium vomitoriorum magna est copia, a plerisque tamen, quæ veneni indolem habent, ut ricini & cataputiæ semina, vel plurima medicamenta ex euphorbii speciebus, quod sæpe inflammante stimulo nocent, abstinendum est. Ex vegetabili regno optimum & tutissimum vomitorium exhibet radix ipecacuanhæ, cujus pulvis varia dosi, quam bonitas medicamenti definit, jejuno ventriculo sine multo vehiculo ingeritur. Asari & gratiolæ infusa & decocta interdum etiam vomitum movent, & alvum vehementer ducunt.

§. 307.

Infantibus quidem dosis minor ipecacuanhæ exhiberi potest, sed utiliora videntur medicamenta scillitica, saltim oxymel scilliticum, etiam tenellis, viscidi ex ventriculo & faucibus removendi caussa, accommodatum est, & aceto scillitico acui potest.

Pul-

Pulveres ſcillæ, adultis exhibiti, ut reliqua vomitoria, ſaburram viſcidam ventriculi reſolvunt, & rejiciunt, potiſſimum autem viſcidam & porraceam inteſtini duodeni bilem movent. Extractum ſcillæ, rite præparatum & aqua cinamomi vel alia ſolutum, viſcidum reſolvit & interdum vomitum movet, ſi ad quinquaginta guttas & ultra propinetur.

§. 308.

Ex regno minerali antimonium, non quidem ob naturalem mixtionem, ſed regulinas partes, quæ vel minus ſulphuris habent, vel præparando incitatæ ſunt, vomitum ciet. De hepate, vitro & butyro antimonii, de mercurio vitæ & aliis draſticis præparatis hoc loco nihil dicamus, etſi interdum curationibus adhibentur, varieque mitigari & corrigi poſſunt; commemoremus tantum ſulphur antimonii auratum & tartarum emeticum.

§. 309.

Ac tartarus quidem emeticus regulinam quamdam partem acido tartari jungit; ſulphur vero auratum, quod & kermes minerale dicitur, aliquam reguli partem, ſulphuri adhærentem, non intime junctam, exhibet. Utriuſque medicamenti vires ex præparatione æſtimandæ, & in propinando eo a grano uno, ad bina & deinceps progrediendum. Cum autem in pulveribus cum terreis tritæ, vel in pilulis & bolis exhibeantur, aquoſo potu ſuperaddito, effectus eorum excitandi & moderandi ſunt.

§. 310.

§. 310.

Quemadmodum autem in plenitudine nimia præter pressiones abdominis §. 305. penna anserina vel digitus, faucibus applicata, vomitum movent, sic cum acria & venenata, ventriculo ingesta, conatus vomendi & spasmos excitant, lac, oleum, juscula pinguia, dulcia varia & aqua tepida, copiosius deglutita, vomitum maturant: stimulo enim acri involuto, multa irritatio spasmum & inflammationem movet, sed plenitudo potius & nausea expulsionem efficit.

§. 311.

Quamquam vero vomitoria medicamenta, saburram ex ventriculo & duodeno evacuantia, multorum morborum initia impediunt vel prorsus tollunt, ob vehementes tamen motus inde oriundos non semper tuto exhibentur. Qui strumis laborant vel tonsillas induratas habent, vomitoria vix ferunt, in hæmoptoicis etiam & qui ante hac vomitu cruento tentati sunt, vix locum habent, cum etiam post venæsectionem, eruptiones sanguineæ ex vomitu oriantur. Nec herniosi agitationem abdominis a vomitu tuto ferent, nisi hernia aptissime reposita & fascia munita sit. Gravidis & puerperis quoque vomitorium nocet.

§. 312.

Etsi vero sæpius a vomitu spontaneo aut conatu vomendi ad indicationem vomitorii exhibendi ducimur, non semper tamen hæc ratio valet. Læsiones capitis graviores, inflammatio ventriculi, calcu-

calculus viarum urinariarum, colica hæmorrhoidalis & ſpaſmodica aliaque vitæ incommoda, quæ vomitum ſæpe movent, vomitoria nulla poſtulant, cum hic ſymptoma morbi ſit magis coercendum, quam excitandum. Si cum ſumma nervorum imbecillitate vertigo & nauſea vomitum excitant, is quoque analepticis & antiſpaſmodicis coercendus eſt. Imbecillitas ſola infantum hominumque tenerioris corporis utriuſque ſexus vomitorium non omnino vetat, ſi hoc remedium morboſæ cauſſæ removendæ unum fuerit, ſed lenius eligendum eſt, idque aliquoties repetendum.

§. 313.

Vomitum plenitudine ventriculi juvare, & aſſumtis quamquam parcius alimentis, vomitorium medicamentum ingerere velle, minus conveniens eſt, dum enim moles ingeſtorum ſimul movenda eſt, viſcida & acris materia, plicis ventriculi inhærens, non ſatis eliminatur. Quando vero vomitorium, jejuno ventriculo cum pauco vehiculo ſumtum, ſaburram movet, & conatus vomendi moleſti ſunt, aqua tepida inſulſa, vel dulci cum ſaccharo & melle, vel oleo aut butyro hauriatur, quo viæ lubricentur, ſpaſmi ſopiantur & vomitus ita facilis reddatur. Largior aquæ copia, vomitorio vix deglutito, hauſta, vomendi utilitatem minuit, aut enim juſto citius expellitur vomitorium, aut ad inteſtina propellitur & purgantem effectum tantum edit.

§. 314.

Si vomitus nimius eſt, diluentia oleoſa & lubricantia crebius hauriantur, his enim acria obvol-

vuntur, ſpaſmus mitigatur vomituſque demum ceſſat. Quod ſi ſpaſtica ventriculi contractio coerceri nequit, aut roborantia vinoſa, analeptica, aut tandem opiata medicamenta propinentur. Cave tamen, ne his utaris, quando materia morboſa eliminanda reſtat. Ventriculi robur, vomitoriis debilitatum, cardiaca aromatica & blanda carminativa v. c. infuſum chamomillæ aquoſum, nec non roborantia leniora reſtituunt. Spirituoſa fibras magis exſiccant, quam roborant. Aromatica etiam & opiata, externe in ſcutis ſtomachicis applicata & ex theriaca præparata, conveniunt.

SECTIO II.

PURGANTIA.

§. 315.

Evacuatione per ſuperiores partes nunc oſtenſa, aliam, quæ per inferiores fit, nunc conſideremus. Purgantia medicamenta dicuntur, quæ ore ſumta in ventriculo & inteſtinis hærentem ſaburram movent & ad anum propellunt, ideoque univerſum canalem alimentorum evacuant. Clyſmata ſunt injectiones in anum, quæ canalem inteſtini craſſi ex parte penetrant, eumque purgant. Suppoſitoria, orificium inteſtini recti ſtimulantia, ſcybala, ibi hærentia, movent.

« Nonnulla medicamenta, umbilico aliiſque partibus illi-
» nita alvum movent, cum quæ, minus uſitata & incerti effectus
» ſint, omittimus. »

§. 316.

Etsi autem evacuantibus his medicamentis reliquiæ alimentorum corruptæ sæpius, quam digestæ, & acrimoniæ, in canali alimentorum potissimum inde natæ, eliminantur, tamen & serum salivale, pancreaticum & intestinale, bilis abundans, vel viscida & acris reddita, mucus intestinorum, nimium collectus, simul moventur & expelluntur. Præterea etiam humores viscidi serosi, vel tenaces atrabilarii, quæ interdum ad canalem intestinorum derivantur, sanguis hæmorrhoidalis stagnans & corruptus, pus, ex abscessibus in tubo intestinali vel vicinis locis erumpens, ichorosa colluvies, interdum carcinomatica, vermes aliaque morbosa corpora, stimulo admoto, cientur & expelluntur.

§. 317.

Ex his omnibus, cum caussis suis comparatis, signa, quæ evacuationem alvinam indicant, facile intelliguntur. Ponderis sensus & molesta tensio abdominis, a morbosa materia excitata, borborygmi a ructibus & flatibus, sursum deorsumque urgentibus, hypochondriorum præcipue tensio, alvus sicca parcior, moleste secedentia excrementa, aut nimis lubrica: bilioso stimulo & acri sero excitata, materiam evacuandam adesse, produnt.

§. 318.

Non tantum diarrhœæ, in morbis epidemicis acutis sponte obortæ, evacuationem adjuvare suadent, sed abundantia quælibet humorum, ad loca externa corporis, præcipue vero ad caput & pec-

tus propulſa, derivationem ſuperflui ad univerſam hanc corporis cloacam indicat. v. c. in morbis ſeroſis capitis, in aſthmate pituitoſo, in ſuppuratione nimia temperanda, in hydrope aliiſque ſeri collectionibus, quam revulſoriam atque derivatoriam evacuationem, ipſius naturæ conatibus ſæpe motam, ars caute imitatur.

§. 319.

Quamquam autem indicatio alvinæ evacuationis ex indicatis ſignis certa eſt, modus tamen eam efficiendi non ſemper patet, niſi & contraindicantia bene expendantur, & ſelectus optimorum remediorum fiat. Hæc duo autem ita conjuncta ſunt, ut unum ad alterum referatur. Optimum tamen erit, primo, quibus remediis utendum ſit, diſquirere, antequam contraindicantia per coindicantia limitentur, & concluſio, quid & quibus remediis evacuari debeat, definiatur. Nos quidem aliquas purgantium claſſes inſtituimus, & in ſingulis recenſendis monita, quæ uſum definiant, ſubjungimus, ex quibus contraindicantia apparent.

§. 320.

Tanta eſt medicamentorum purgantium copia, agendique differentia, ut, cum claſſes quaſdam, compendiariæ doctrinæ cauſſa, inſtituere animus ſit, ex pluribus pauca, &, ut bona & ſincera ſimplicia ſint, non niſi uſitatiſſima, ſeligi potuerint. Conſideremus igitur. 1. digeſtiva ſalia 2. lubricantia, plus minus ſtimulantia. 3. ſtimulantia ſpecifica, 4. acria draſtica; & cujuſlibet claſſis vires univerſas, ſingulorumque medicamentorum dotes ſingulas inter-

interdum indicemus, quo indicationis ratio specialius declaretur.

§. 321.

Salia ideo digeſtiva dicuntur, quoniam mucum tenacem & excrementa alvina duriora reſolvunt, & ad evacuandum molliunt, unde ea inter reſolventia §. 219. ſeqq. commemoravimus, atque monuimus, eadem pro diverſa indole variis acrimoniis opponi poſſe & debere. Purgantia vero tunc dicuntur ſalia, cum eorum doſis major propinatur. Etſi vero in diſpoſitis corporibus una alteraque drachma alvum ſatis movet, in aliis tamen doſis ad unciam unam vel alteram augenda eſt.

§. 322.

Ex ſalibus acidis cremor tartari, ex alcalinis magneſia nitri, & ſal plantarum TACHENII indicari merentur, reliqua enim ſalia alcalina, ſal tartari & oleum tartari per deliquium, ob acrimoniam inſignem, ea doſi propinari nequeunt, quæ alvum certo moveat. Salia media, ad laxandam alvum maxime accommodata, imprimis hæc ſunt: aqua Seydſchützenſis & Sedlitzenſis & ſal amarum inde eductum; ſal anglicum catharcticum & ſalia thermarum Carolinarum, & acidularum Egranarum, ſal mirabile GLAUBERI, ſal polychreſtum SEIGNETTE tartarus vitriolatus & tartariſatus nec non tartarus regeneratus, & liquor terræ foliatæ tartari.

§. 323.

Adſtrictæ alvo ſalia media utique conveniunt, cum mucum inteſtinalem nimis tenacem optime reſolvant; etſi enim ſtimulo ſerum inteſtinale valde alliciunt & ſubducunt, tamen præterea ad ſolvendum aqua addita indigent. In acrimonia rancida cremor tartari, in acida alcalina ſeligenda ſunt. Quamquam vero ſalia ſub initium ſiccitati alvinæ medentur, nimio tamen uſu eam non ſolum, ſed totius corporis ſiccitatem inducunt.

§. 324.

Salia vero cuncta diuturno uſu ſolidas inteſtinorum fibras valde relaxant, primaſque vias debilitant, quod etiam in diuturno uſu extractorum amarorum obſervavimus. Hoc incommodum ab aquis medicatis, thermis & acidulis non metuendum videtur, cum ſal alcali minerale, vel ſali mirabili GLAUBERI ſimillimum, quod iis ineſt, roborans vitriolum martis, vel terram aliquam ſubtilem conjunctam habet. Sed in his ſumma eſt varietas. Egranæ v. c. acidulæ primas vias magis ſtimulant, quam Pyrmontanæ, quæ diureſin magis movent.

§. 325.

Inter lubricantia medicamenta plantæ, quæ emolliunt v. c. malvaceæ & ſpinacia, jure aliquo referuntur, & a veteribus jam commendatæ ſunt. In univerſum enim vernali tempore, uſus turionum & foliorum radicalium ventres, per hiemem ſiccatos, rurſus emollit & lubricat. Non ſolum enim

enim ſuccus vegetabilis, a tenerioribus foliis exceptus & præparatus, ob balſamicam aliquam vim, in iis evolutam, has vires habet, ſed lenior etiam ſtimulus ſalinus accedit.

§. 326.

Olea quoque plantarum preſſa, lac & butyrum, nec non pinguedines animalium primas vias lubricant, in his tamen propinandis ad acrimoniam primarum viarum ſimul attendendum eſt. Quemadmodum enim emulſiones ex amygdalis, & aliis ſeminibus oleoſis rancidæ & bilioſæ acrimoniæ conveniunt, ſic oleum amygdalarum dulcium & olivarum, dummodo recens ſit, ſiccitati alvinæ lubricando medetur. Lac vaccinum, caprillum & aſininum tepidum, nec non juſcula carnium juniorum animalium ſimiles vires habent, licet, cum ſtimulo careant, vera purgantia non ſint.

§. 327.

Sero, ex lacte parato, ſtimulus aliquis ineſt; lac ebutyratum ideo, vel ſerum lactis cum ſucco citri & cremore tartari paratum, in bilioſis imprimis morbis hauſtum, acrimoniam rancidam corrigit, & alvum interdum valde movet. Serum lactis dulce, vel inſpiſſatum & dilutum, vel cum terreis, acidum abſorbentibus, iterum dulce redditum, tenuis & nutriens liquor eſt, qui acrimoniam involvendi & fibras debiles nutriendi vim habet.

§. 328.

Et ſaccharum, mel & reliqua dulcia, inter lubricantia & leniter ſtimulantia referri merentur.

Aqua mellis ſive mulſa, copioſius ingeſta, ſiccitati inteſtinorum medetur & alvi ſegnitiem corrigit, nauſeoſum tamen eſt, & rarius tanta copia ſumi poteſt, ut alvum vere moveat. Decoctum paſſularum & majorum & minorum, & ipſæ uvæ paſſæ ficus & dactyli dulcedine & blando ſtimulo, alvum interdum ducunt. His nonnulli fructus horæi dulces ex noſtris addi poſſunt ut pruna & poma borſtorfiana.

§. 329.

In leguminibus tamarindorum & caſſiæ contenta pulpa, non ſolum acido, quod priori præſertim ineſt, ſed lubricante & nonnihil nauſeoſo ſucco alvi excretionem juvat. His remediis bilis potiſſimum acrimonia corrigitur, ideoque in febribus acutis, cum ſiccitate alvina junctis, multo uſu ſunt. Doſis ſit uncia ſemis & ultra ſubinde propinata. Læduntur tamen his medicamentis illi, quorum primæ viæ acrimonia acida abundant.

§. 330.

Ex arboribus inciſis vel ob ubertatem ſucci rimas agentibus, vernali tempore humor emanat, ut ex betulis noſtris, qui emolliens & lubricans eſt. Manna vero, ex ornis ſtillans, calore ſolis magis inſpiſſatus, hinc a foliis & truncis collectum, eſt concretum ſpiſſum & dulce, quod emolliendo, lubricando & leniter ſtimulando, iis, qui ſiccitate alvi laborant, optimo cum ſucceſſu exhibetur, & ut mite ſatis, ita infantibus conveniens medicamentum eſt, ſi in aqua calida ſero lactis vel juſculo ſolvitur.

§. 331.

§. 331.

Etsi vero terebinthina potius resolvit, quam adstricta lubricat, ejus tamen mentio hic facienda est. Nam cypria, quam antehac vera terebinthus fundebat, nunc autem in Venetis larix, in Germania pinus exsudat, recens & vitello ovorum subacta, viscido resoluto alvum sæpe lubricat, & ob hanc caussam clysmatibus nonnunquam additur. Gummi ammoniacum & galbanum, lacrymæ plantarum umbelliferarum, in calidis regionibus collectæ, simili interdum modo agunt.

§. 332.

Ex stimulantibus specificis aloen potissimum & rhabarbarum attendimus. Aloes imprimis aqua solutæ & depuratæ pars gummosa prodest, resinosa nimis exsiccat, Purioris aloes drachma una vel altera, cum salibus mediis trita, aqua soluta & subinde sumta pertinaces alvi obstructiones solvit. Etsi vero in pilulis cum gummi saponaceis & in elixiriis variis, alvum etiam movet, diuturno tamen usu & parvis dosibus propinata, hæmorrhoidalis fluxus occasio fieri solet. Cum etiam calorem excitet & sanguinem commoveat, pituitosis magis, quam siccioribus ægris expedit, sed illos etiam intestino recto exsiccando, morbosis magis, quam expedite fluentibus hæmorrhoidibus afficit.

§. 333.

Rhabarbarum selectum leni stimulo alvum movet, bilis acrimoniam corrigit & subducit, laxa intestina simul roborat & stomachica vi pollet. In

pulvere optime propinatur, imprimis si salia, acrimoniæ morbosæ opposita, addantur. In infusis aquosis & solutionibus similibus, lubricantibus etiam additis, temperari potest. Diarrhœis & dysenteriis præcipue utilis est, etsi vero hæmorrhoides non, ut aloe, allicit, hæmorrhoidariis tamen & siccioribus obest.

§. 334.

Majorem vim, quam hactenus descripta medicamenta, habent infusa florum persicorum & acaciæ, sive pruneoli nostratis, quæ cum aqua aliisque menstruis vernali tempore parantur, vel in syrupis conservantur. Folia sennæ magis stimulant, ideoque infusis ex salinis lubricantibus & rhabarbaro paratis, varia dosi adduntur lenius digesta vel cocta. In pulvere minus commode exhibentur. Etsi vero vi indolis resinosæ ventrem sæpe valde movent, ad vera tamen drastica referri nequeunt.

§. 335.

Medicamenta, quæ resinoso & acri stimulo intestina vellicant, & magnam humorum copiam subducunt, drastica purgantia appellantur. Pulvis radicis jallappæ ob conjunctas particulas gummosas mitius agit; resina, inde educta, alvum valde movet, eodem ferme modo, ut resina, scammonii, quam quidem sulphuris halitu in diagrydio mitiorem reddere putant. Hæ resinæ vel cum terris & salibus teri, vel spiritu vini solutæ, addito syrupo, propinari possunt, cum vitello tamen ovorum & amygdalis tritæ & aqua exceptæ, majoris sunt utilitatis. His annumerari possunt agaricus trochiscatus,

ſcatus, & trochiſci alhandal ſive pulpa colocynthidis, quæ forti ſtimulo in doſi ægris accommodata, aquam & pituitam vehementer ſubducunt, & robuſtos etiam valde movent.

§. 336.

Reliqua medicamenta, ex euphorbii genere petita, ſuccus eſulæ, ſemen cataputiæ, vel etiam gummi guttæ, inflammationem ſtimulo ſæpe movent, & a prudenti medico caute ſeligenda ſunt. Si forte ad pituitam & aquas hydropicorum ſubducendas conſueta draſtica §. 335. non ſufficiunt, elaterium ſive cucumeris aſinini extractum, vel ſuccus iridis noſtratis recens expreſſus, tentari aliquandiu poſſunt. Scillæ pulvis & extractum §. 307. & gratiolæ herbæ infuſum, §. 306. quibus vomitum moveri diximus, alvum etiam vehementer purgant.

§. 337.

Ex minerali regno pauca ſunt purgantia, præter ea, quæ in vomitoriis §. 308. nominavimus, ſi tamen mercurialia reſpici mus, fortiora minus tuta ſunt, & mercurium dulcem, quem pilulis purgantibus, ex aloe paratis, ſæpe addunt, exigua vi purgandi pollere conſtat. Aurum fulminans nonnulli certiſſimum obſtructionis pertinacioris remedium prædicarunt, ſed ob præparationem & mitigationem variam, dubia ſemper ejus vis eſt.

§. 128.

Omnia hæc medicamenta purgantia ſingulis ægris, præcipue autem materiæ evacuandæ accom-

commodanda sunt. Ex aliis copia viscidæ & acris, nec recte digestæ materiæ, ex aliis mucus & pituita, ex aliis bilis corrupta, ex aliis aquæ subducendæ sunt; quam ob rem veteres jam purgantia in panchymagoga, phlegmagoga, cholagoga, hydragoga diviserunt, quæ tamen differentia non tam ex indole medicamenti, quam constitutione ægri dijudicanda est. Purgantia per epicrasin dicuntur, quæ partito exhibentur & ob admixta amara, resolventia, carminativa & roborantia non solum dyscrasiam humorum corrigunt, sed & partem quandam per alvum subducunt.

§. 339.

Quemadmodum vero saburram copiosam primarum viarum, si modo mobilis est, unico sæpe & valido purgante amoliri licet, sic aliorum tenaciorem materiam resolventibus salinis §. 219. *seqq.* amaris §. 223, & gummi saponaceis §. 227 commovere convenit. Ex dispositione ægri vero cognoscimus, utrum hæc præmittere, an purgantibus ipsis admiscere possimus. Ne vero continuata evacutio humorum, robur viscerum, præcipue intestinorum, nimium debilitet, analeptica, antispasmodica & carminativa, ex aromaticis & roborantibus medicamentis selecta, vel cum purgantibus vel post ea adhibeantur.

§. 340.

Evacuatio alvina juvatur potu copioso aquæ, seri lactis & jusculi carnium, quibus præcipue vis drasticorum nimia temperatur. His ipsis etiam, imprimis si acrimoniæ collectæ opponantur, nimius fluxus ventris cohibetur, v. c. si acrimoniæ rancidæ

cidæ potus acidulus opponitur. Si vero canalis alimentorum ſpaſmo afficitur, quo materia evacuanda mox promovetur, mox cohibetur, vel opiata medicamenta purgantibus jungantur, vel poſt purgantia propinentur.

§. 341.

Ex iis, quæ hactenus propoſuimus, clyſmatum uſurpandorum ratio quoque intelligitur. Hæc etſi interdum ob indolem antiſpaſmodicam, carminativam, roborantem & nutrientem injiciantur, ſæpiſſime tamen craſſa inteſtina evacuant, aut enim humectando ſiccitatem corrigunt, aut acres particulas abſtergunt, aut duriora & tenacia ſcybala emolliunt & educunt. Poteſt vero hæc evacuatio, neceſſitate urgente, etiam in ſumma ægrorum debilitate tentari, cum clyſmata non admodum purgantium, humores valide commoveant, ſed contenta in craſſis blande educant, ut adeo, obice remoto, motus periſtalticus in tenuibus acceleretur.

§. 342.

Clyſmata hæc ex aqua tepida, urina ſanorum & juniorum animalium, lacte, ſero lactis, juſculis & oleis preſſis præparantur; interdum vero varios ad uſus herbæ emollientes §. 159. reſolventes §. 223. aut carminativæ aromaticæ in aqua aut juſculo coquuntur, ſtimulus ſaccharo, melle vel ſale, & vis lubricans oleis preſſis & coctis additur. Interdum ob vehementiorem ſtimulum acriora etiam purgantia, vel herba nicotiana ſimul decoquuntur; vel clyſmata ex fumo herbæ nicotianæ, ope follis idonei, impelluntur.

§. 343.

§. 343.

Suppositoria indicantur, cum intestinum rectum excrementorum duriorum mole repletum est, quantam sua vi expellere nequit, sed stimulo ad nisum eget. Hinc globuli moschati vel alia ex saccharo parata medicamenta, sapo, mel & terebinthina cum purgantibus stimulantibus in pastam paulo solidiorem & ferme conicam redacta, in anum immittuntur. Cum vapores ex emmollientibus herbis, ad anum admissi, lubricando hanc excretionem juvent, melius sæpe olei & lactis pauxillum in anum, injicitur, suppositoria enim crebrius applicata stimulo orificium callosum reddunt.

CAPUT V.

EVACUATIO SANGUINIS.

§. 344.

SAnguinis abundantia vel in universo corpore collecti, vel ad quasdam partes impetu singulari delati, evacuationem quamdam postulat. In prophylactica quidem plethoræ curatione ostendimus §. 131. *seqq.* victum parcum non jurulentum, sed ex vegetabilibus paratum, imprimis subacidum, potum tenuem, exercitationem, corporis viribus accommodatam. plethoræ præcipue obsistere. Ibidem tamen venæsectionis prophylacticæ mentionem fecimus, cujus & similium sanguinis evacuationum rationem nunc in universum considerabimus.

§. 345.

§. 345.

Venæ ſunt canales, ſanguinem & humores reſorptos ad cor redeuntes, placide tranſmittentes, hinc ex iis optime evacuari ſanguis poteſt. De venæſectione itaque, tanquam primario ſanguinis mittendi modo, in prima ſectione, de ſcarifatione vero & reliquis in altera dicturi ſumus. Ita enim ſperamus, non tantum indicationem recte definiri, ſed contraindicantia quoque examinari poſſe.

SECTIO I.

PHLEBOTOMIA.

§. 346.

PHlebotomia ſive venæſectio eſt inciſio venæ, ſub cute collocatæ, ſanguinis commode evacuandi cauſſa. Venæ vero, ex quibus ſanguis educitur, ſunt jugulares, medianæ variæ in flexu cubiti, cephalica pollicis & ſalvatella, ſaphæne ramificationes, præcipue ad malleolos & in dorſo pedis excurrentes, in quarum ſelectu ad conſtitutionem ægri morbique indolem reſpiciendum eſt.

* Singulares quædam venæ, raninæ, v. c. frontalis, dorſalis, penis et aliæ rarius inciduntur.

§. 347.

Etſi ſola abundantia ſanguinis venæ ſectionem indicare videtur, tamen, cum non ſemper moleſta copia, ſit aliiſque remediis temperari poſſit, alia vero indicantia venæſectionis ſimul perpendenda ſunt, hoc optime fieri poſſe arbitror, ſi conſtitutionem

tionem ſanguinis & humorum, poſtea vaſorum vim fluidis reſiſtentem, tandem motum ſanguinis per vaſa ſigillatim perpendamus & indicationum & contraindicantium rationem ad hanc normam examinemus.

§. 348.

In denſitate ſanguinis plethoricis veris propria venæſectio promptum auxilium eſt. §. 126. & liberiorem circulationem efficit; in copia ſanguinis & humorum, qua obeſi laborant, § 127. eadem effectum optatum habet, ſed lentiorem; in raritate tamen ſanguinis, quæ in plethoricis e debilitate cognoſcitur, §. 128. non niſi tum, cum aliæ cauſſæ ſimul urgent, admittenda eſt. Cum vero in his plethoræ differentiis diſpoſitiones tantum morboſas inveniamus, ad vaſorum ſanguiferorum ſyſtema & motum ſanguinis ſimul reſpiciendum eſt.

§. 349.

Si enim medicus ex pulſu forti & duro ſanguinem cordi nimium reſiſtere cognoſcit, de neceſſitate venæſectionis certior fit. Etſi vero hæc reſiſtentia non ſemper a copia & denſitate ſanguinis, ſed a ſpaſmo minimarum arteriarum crebrius excitatur, hic tamen impulſu imminuto & ipſe remittit. Venæſectio vero differri nequit, ſi dolor, rubor, pulſatio & alia interna & externa inflammationis ſigna, *Pathol.* §. 333. ſimul appareant.

§. 350.

§. 350.

Motus humorum auctior sive febris *Pathol.* §. 72. venæsectionem non semper indicat. Motus enim humorum circulatorii, non ultra modum intensi, coctionem & crisin egregie juvant, nec venæsectione intempestiva turbandi sunt, sic vero nimium intendantur ad æstum usque & siccitatem, nec crisis instet, venæsectione coercentur. Æstu enim nimio concitato, mixtio sanguinis ad diathesin phlogisticam vel alias mutationes transit. Crisin vero instare, ex aliis signis dijudicamus. *Pathol.* §. 427. *seqq.*

§. 351.

Non tantum in inflammationibus sanguis ad partes affectas cum vehementiori impetu propellitur, sed in hæmorrhagiis quoque, sanguinem per nares, uterum, hæmorrhoides cet. copiosius evacuantibus, impetus ille ad partem læsam major est, qui venæsectione, in parte aliqua remotiore administrata, temperatur. Hoc affectis partibus nobilioribus, quæ sanguinis affluxu gravius læduntur, v. c. pulmonibus & ventriculo, magis necessarium est. Summa tamen imbecillitas, imprimis cum pulsu debili conjuncta, venæsectionis contraindicans est.

§. 532.

Interdum & tardiores humorum motus venæ sectionem postulant, imprimis si qua pulsus durities percipiatur, inde enim motus circulatorii vel liberiores fiunt vel certe augentur, & coctio sive elabo-

ratio humorum juvatur. Cum ergo, rebus sic se habentibus, motus retardati per acrimoniam sponte evolutam accelerantur, tunc humorum massa resoluta, solida destruit & vires infringit, quo facto debilis & celer pulsus venæsectionem non exigunt.

§. 353.

Hæc sunt præcipua indicantia sanguinis venæsectione evacuandi. Chirurgia transfusoria a nonnullis tentata, ubi nimirum sanguis junioris & sani animalis e vena aperta tubulo excipitur, & eodem instrumento in venam apertam ægroti hominis transfunditur; item chirurgia infusoria, quæ medicamenta in venas ægri injicere suadet, incisiones venæ quoque postulant. Sed hæ medendi methodi nostris temporibus evanuerunt.

§. 354.

Venæsectionem vel indicationi satisfecisse vel repetendam esse, effectus demonstrant; cum enim copiam sanguinis minuat, vasa majora ultra modum non distenta, minora non amplius comprimunt, ut suctio in venis promptius fiat. Hinc in universum cessat resistentia, a mole sanguinis & spasmo minimorum vasorum cordi infesta, & circulo humorum liberiore, obstructa resolvuntur & secretio expeditior fit. Hinc anxietas, dolor, siccitas & impetus sanguinis ad loca peculiaria tolluntur, ac calor in sanguine auctus, & quæ nonnunquam inde oritur diathesis phlogistica, dissipatur. Hi effectus, qui haud raro venæsectionem solam sequuntur, aliis tamen remediis juvandi sunt.

§. 355.

Effectus venæsectionis revulsorii & derivatorii; de quibus inter medicos sæpe disceptatur, non ab ipsa venæsectione, sed a circulo sanguinis jam expeditiore oriuntur, ideo tamen electio venæ singularis non negligenda est. In universum quidem evacuatio certæ quantitatis sanguinis, quocumque ex loco circulationem, in parte qualibet impeditam, reddit expeditiorem, tamen observatum est, in quibusdam venis hoc promtius fieri. Jugularis vena quibusdam capitis morbis melius inciditur, quam alia, & in pectoris inflammationibus incisionem venæ lateris affecti plus levaminis attulisse, quam remotæ, experientia docuit. Selectus venarum in extremitatibus difficilius definitur, minores autem aliæ venæ ex morbis particularibus dijudicantur.

§. 356

Si indicationes generales recte dijudicatæ sunt; contraindicantia facilius inveniuntur. Ex his primarium est defectus sanguinis boni, & debilitas inde nata. Hinc patet, cur in multis morbis chronicis & imprimis in obstructionibus viscerum pituitosis, maxime vero scirrhosis, quas interdum variæ hæmorrhagiæ comitantur, venæsectio locum non habeat. Infantibus & pueris non ea est copia sanguinis, quæ venæsectionem postulet; nisi enim spastici morbi subitam congestionem sanguinis ad caput aut pectus efficiant, laxitas horum solidorum, huic ætati conveniens, vix ita resistit cordi, ut damnum metuendum sit. Senes, quibus defectus fluidi & tarditas circulationis propria est; raro egent venæsectione.

§. 357.

Æger vero, cui vena secanda est, vel lectulo incumbat, vel ita sedeat, ut abdomen & extremitates corporis liberæ, nec compressæ, nec nimis distentæ sint. In parte ea, ubi vena secanda est, frictione, fomentis & balneis tepidis, sensim incalescentibus, regressus sanguinis acceleretur. Liganda etiam & comprimenda est vena super locum incisionis, quod in brachio super flexum cubiti, in pede ad regionem poplitæam optime efficitur.

§. 358.

Vena vero lanceola, vel si cutis durior est, instrumento, e latere instructo, *Schnepper*, melius aperitur. Interdum cutis quodammodo comprimenda, non vero adducenda est, quo vena in contextu celluloso laxiore fluctuans figatur. In obesis vena, quæ in pinguedine delitescit, tensione partis & tactu detegenda est; in macilentis vero caute incidatur, ne arteria proxima aut nervus aut tendo lædatur. Vulnus infligatur ad directionem venæ non obliquum, magnum item, ut ea, quæ debet, sanguinis copia facile effluat, tussiendo enim, vel partem, ex qua sanguis fluit, fricando, per exiguum vulnus sanguinem exprimere non convenit. Pars autem, in qua vena secta est, quiescat, ne locus venæ apertus motu cutis tegatur.

SECTIO II.

SCARIFATIO CET.

§. 359.

IN gravioribus capitis morbis v. c. apoplexia ſanguinea, vel vehementiſſima oculorum inflammatione, arteria temporalis interdum diſcinditur, non inciditur, quo ſanguinis impetus, ad nobiliores has partes directus, refrenetur, cum vero exiguus arteriæ carotidis ramus ſit, ſectio venæ jugularis in his morbis forte majora commoda præſtat.

§. 360.

Scarifatio in habitu cutaneo fit, poſtquam nempe cucurbitulæ, flamma caleſactæ, admotæ ſunt, cutis elevatur & vaſa turgent, tum inſtrumento, quod multis vulnuſculis cutim diſcindit, applicato, ſanguis effluit & cucurbitula denuo admota colligitur. Applicantur vero cucurbitulæ occipiti, cervici, dorſi & extremitatum corporis variis locis. Inciſiones plurimæ in partibus, gangræna affectis, etiam ſcarifationis nomine veniunt, palpebrarum ſcariſatio ita fit, ut tunica conjunctiva faſciculo glumarum ſecalinarum ſtringatur.

§. 361.

Scarifatio cutanea, quam hic potiſſimum conſideramus, præcipue in morbis cutaneis fit, cum circulus ſanguinis & humorum in cute liberior reddendus eſt, ut acres particulæ, ibi hærentes, diſſipentur,

pentur, quam ipſam ob cauſſam in ſcabie aliiſque puſtulis cutaneis promtius curandis hoc auxilio utimur. Etſi vero interdum ſcarifatione magna ſanguinis copia educitur, veluti cum cucurbitulæ, occipiti ad finem ſuturæ lambdoideæ in cephalæis pertinacioribus applicantur, & multi præterea, qui venæſectionem reformidant, ſcarifatione ut remedio palliativo utuntur, tantus tamen numquam ejus eſt effectus, quantus venæſectionis.

§. 362.

Si ſanguis nimium in venis ſtagnat, eaſque diſtendit & varicoſas reddit: nec evacuationes, hucuſque deſcriptæ, locum inveniunt, hirudines ſeu ſanguiſugæ iis admoventur. Hi vermes variis quidem corporis locis, ex quibus ſanguis educendus eſt, v. c. gingivis adhærent, præcipue tamen hæmorrhoidibus turgentibus cœcis applicantur, ex quibus ſæpe inſignem ſanguinis copiam educunt, imprimis ſi poſtea fomentationes ad anum admittantur.

§. 363.

Inter omnes hæmorrhagias, quæ in corpore oriuntur, & interdum ut ſalutares, naturæ motibus certis & ordine juſto continuantur, interdum vero, morboſis cauſſis accedentibus, perturbantur, nullæ tam conſuetæ ſunt artiſque auxiliis adjuvandæ, quam menſtruus & hæmorrhoidalis fluxus. Quamquam vero difficiles hæ doctrinæ, in inſtitutionibus therapiæ ſpecialis tradendæ, nunc deſcribi nequeunt, in univerſum tamen nonnulla & hoc loco proponere lubet.

§. 364.

§. 364.

Catameniorum fluxus in feminis vi naturæ excitandus, artis auxiliis nec ante tempus accelerandus, nec diutius protrahendus est nisi ex ejus effectu symptomata molesta oboriantur. Præcipua indicantia sunt plethora evidens sanguinea, lassitudo & respiratio anhelosa, dolor ad lumbos & crura, hæmorrhagiæ sponte obortæ, & hanc evacuationem impedientes, imprimis si hæc incommoda alio tempore increscunt, alio nonnihil cessant. Fluxus lochiorum, qui post puerperium accedit, simili modo consideratur, nec arte urgetur, nisi ejus defectus dolores capitis, anxietates præcordiorum aliaque symptomata inferat & augeat.

§. 365.

Facta autem indicatione generali, de utroque fluxu per muliebria proliciendo & juvando, specialem indicationem sine causæ impedientis cognitione, nec formare nec apta remedia eligere possumus. Curatio igitur non solum ex hac, sed ex aliis therapiæ generalis doctrinis repetenda est, cum nimia sanguinis copia vel paucitas, cacochymiæ variæ, robur auctum vel spasmus, laxitas vel debilitas partium solidarum, de quibus jam egimus, eruptionem sanguinis per loca hæc consueta impediant, vel imminuant. Summa vero attentione opus est, quoniam plures & sæpe contrariæ causæ removendæ sunt.

§. 366.

Quod si sanguinis & humorum circulus, varia curatione expeditior factus est, sanguis vel sponte

& definito tempore emanat, vel medicamentis specificis, quæ emmenagoga dicuntur, eo derivatur. Locum hic inveniunt vegetabilia amara, roborantia plus minus aromatica, specifico quodam odore prædita. v. c. matricaria, marrubium album, pulegium, mentha, melissa, levisticum, rosmarinus, sabina, aliaque plura simplicia medicamenta, quæ in infusis vinosis & aquosis interne, nec non externe in balneis, pediluviis & fomentis adhibentur.

§. 367.

Gummi ferulacea, quæ vel odore alliaceo in assa fœtida, vel ab hoc parum recedente in galbano myrrha, cet. antispasmodicam vim produnt, & partim ad emolliendum, partim ad roborandum eligi possunt, fluxum menstruum vere juvant. His addimus aloen, crocum, succinum, castoreum, martem & alia medicamenta, quæ, etsi ex specificis viribus ut plurimum æstimantur, indicationi caussali tamen semper accommodanda sunt.

§. 368.

Dispositio ad fluxum hæmorrhoidalem, veros naturæ motus turbatos, præcipue impeditam circulationem sanguinis per viscera abdominalia ostendit, ideoque nunquam excitari debet: quoniam tamen hoc fluxu variis de causis moto, multa incommoda morbosa levantur, &, si qui ei adsueti sint, eo deficiente, perversa symptomata oriuntur, interdum attentionem medici dirigentis postulant. Si itaque circulus sanguinis per systema venæ portæ, vel indole sanguinis, imprimis atrabilarii, vel spasmis turbatur, & præsertim lentior fit; si morbi

bi cum phantaſia læſa inde oriuntur; ſi ſanguis, his præſentibus, per alia & minus conſueta loca manat, de remediis, cauſæ accommodatis, cogitet medicus.

§. 369.

Hæmorrhoides naturæ motu excitatæ & accurata diæta tractatæ, ſalubriores & conſtantiores ſunt iis, quæ auxiliis artis proliciuntur. Indicationes itaque de hæmorrhoidibus excitandis, augendis & ſupprimendis, non niſi ex cauſis dijudicandæ ſunt ideoque multa cum indicatione emmenagoga communia habent, §. 364. licet partes, ex quibus ſanguis fluit, diverſiſſimæ fabricæ ſint. Venæſectiones tempeſtivæ, gummi ſaponacea, aloe & alia medicamenta, §. 365. ſuo loco & tempore applicata, omnem curam abſolvunt.

CAPUT V.

EVACUATIO SERI.

§. 370.

NImia ſeri copia, vel ſanguini admiſta, *Pathol.* §. 38. vel in vaſis ſeroſis lente mota & ſtagnans, naturæ ipſius motibus & viribus per varia organa colatoria corporis expellitur, quamobrem medicus, hos motus dirigens, vel regimine diætetico has excretiones moderatur, vel idonea medicamenta addit, quibus ſeri excretio juvatur. Non ſolum vero pars aquoſa ſanguinis, ſed cum ea particulæ noxiæ acres & viſcidæ cum levamine ægri

promoventur. Interdum autem profusæ hæ excretiones optimas etiam humorum partes subducunt, & ægros debilitant. Hæc in progressu morborum accuratius dijudicanda sunt; nos vero indicationem seri evacuatoriam hic tantum in universum consideramus.

§. 371.

Vomitu, sed magis purgatione magnam interdum seri copiam subduci, §. 301. 316. 338. patuit; nos vero in sequentibus sectionibus evacuationem seri perspirabilis cutanei per sudorifera; urinæ in renibus per diuretica; salivæ per sialagoga; muci & seri ex naribus per errhina, & seri acris derivationem ad habitum cutaneum per vesicatoria aliaque medicamenta juvandam & moderandam, considerabimus: his enim præcipue doctrinæ, quæ hanc medendi rationem illustrant, comprehensæ sunt.

SECTIO I.

SUDORIFERA.

§. 372.

E sano corpore permultum seri per poros cutaneos excernitur, ad quod humor, cutim inungens, ad radices pilorum secretus, accedit. Evacuatio seri, quæ mollitiem & moderatam cutis humiditatem conservat, perspirationi naturali simillima vel parum tantum aucta est, diaphoresis dicitur; quæ vero ita intenditur, ut serum in fluidum densum

ceu guttulas coactum, cutim nimis madidam reddat, ſudor appellatur, ex qua re cognoſcitur, diaphoreticam & ſudoriferam ſeri evacuationem gradu differre.

§. 373.

Diaphoreſis juvatur, ejuſque major gradus, ſudor, excitatur, ſi habitus cutaneus ita diſponatur, ut per minima cutis orificia, ſerum copioſius eo ductum facile tranſeat, & ſic medicamentis quoque, ſanguinis & humorum maſſam reſolventibus & commoventibus, ſeroſa pars extricetur & ad cutim derivetur. Prius a regimine externo pendet, aer enim calidus, nonnihil humidus & gravis, varia ratione corpori admotus, vapores præterea & balnea, quæ munditiem cutis conſervant, relaxando & interdum roborando hanc excretionem augent; poſterius motu circulatorio humorum non nihil aucto efficitur.

§. 374.

Cutaneam vero ſe & excretionem intendendam eſſe, naturæ motus ſpontanei interdum ſuadent. In catarrhalibus affectionibus a perſpiratione ſuppreſſa crebrius oriundis, ſudor denuo motus tenſiones & dolores partium aliaque incommoda levat. Magis vero apparet, hanc excretionem juvandam eſſe, ſi poſt coctionem cruditati in morbis acutis recte ſuccedentem, critici motus oriantur, & cum his largior ſudor, cum levamine ægri & ſymptomatum decremento, per omnem corporis ſuperficiem emanet. Ingratus non raro odor peſſimam morbi materiam ſudore expelli demonſtrat.

§. 375.

Quando particulæ venenatæ, limites canalis alimentorum transgressæ vel extrinsecus corpori applicatæ, vomitoriis & purgantibus non removeri possunt, per sudoris viam, quantum fieri potest, expellendæ sunt. Etsi enim vehementi hac evacuatione fluida dissipantur & humores acres redduntur, tamen, si modo acre venenatum nervis inhærens sudore dissipetur, æger servatur, aliis modis refocillari potest. Non solum vero in peste aliisque morbis contagiosis derivata ad habitum cutis materia morbi, sudando, promovenda est, sed in scabie, lue venerea, aliisque morbis blanda sudoris excitatio materiam morbi arcet, ne ad internas & sæpe nobiliores corporis partes convertatur.

§. 376.

Notum quidem est, nonnullos homines natura ad sudores proclives esse iisque levari, ut in hac ipsa profusa excretione, integra tamen sanitate fruantur. In his tamen arte juvandis medicus summa utatur attentione, ne res tandem in perniciem cedat. Obesi & pituitosi, qui succis abundant, diutius ferunt sudores, quam macilenti, quemadmodum vero his maciem & tabem, sic illis cacochymias adferunt. Profusi certe sudores, etsi interdum morbos levant & arcent, continuata tamen excretione, dyscrasias humorum inducunt & vires enervant.

§. 377.

Si autem indicatio sudorifera, indicantibus recte perpensis, salutaris videatur, non quolibet medicamen-

dicamento, quod hanc vim habet, urgenda eſt, ſed ſelectus eorum fieri debet. Si igitur regimine moderato & potu diluente calido evacuatio excitari & juvari poteſt, fortiora, quæ ſanguinem nimis commovent, non adhibenda ſunt; ſi vero medicamentis opus eſt, vel acida vel alcalina volatilia, vel calida aromatica eligenda ſunt, de quibus nunc ſigillatim agemus. De terreis tandem medicamentis, quibus nonnulli vim diaphoreticam adſcribunt, pauca monenda ſunt.

§. 378.

Acidi & nativi vegetabilium ſucci, acetum, fermentatione ſecunda productum & depuratum, nec non mineralia acida, vel ut analeptica §. 69. ſeq. vel ut roborantia §. 180. interdum diaphoreſin lenem excitant; imprimis vero in morbis putridis, a quibus calefacientia medicamenta aliena ſunt, acrimoniam & æſtum temperant, ideoque, blando humorum motu adjuto, perſpirationem & ſudorem efficiunt. Acida quoque mineralia, alcohole vini, ut dicunt, dulcificata, diaphoreſi leni inſerviunt, ſi enim parca & repetita doſi propinantur, analeptica potius, quam calida ſunt.

§. 379.

Alcalina volatilia efficaciora ſunt nec tantum analeptica, §. 72. vires vitæ, excitanda diaphoreſi augent, ſed ob calidam indolem humores quoque commovent, reſolvunt, & ita largiſſimos ſæpe ſudores proliciunt. Spiritus igitur, ſal & oleum cornu cervi & ſimilia, ex ſimplicibus animalis regni præparata, non niſi pituitoſis exhibenda ſunt, quo-

rum humores difficilius resolvuntur, & moventur; magnam tamen simul aquosi potus copiam, ut vim suam exserere possint, postulant. Mixtura simplex & liquor cornu cervi succinatus, ut volatilia neutra; magis temperata sunt diaphoretica.

§. 380.

Omnes plantæ, quæ præter amaram & roborantem indolem, a terreo salinis particulis pendentem, oleum volatile, destillatione eliciendum, continent, resolvendo humores commovent, & in infusis aquosis calidis exhibitæ, perspirationem intendunt. Ex pluribus hic commemorandis agrimoniam, betonicam, scordium & veronicam, ex lignis vero præcipue guajacum proponimus, quibus multa alia ex materia medica addi possunt. Infusa hæc aquosa in morbis catarrhalibus aliisque sudores salutares promanantes leniter augent.

§. 381.

Efficaciora sunt infusa spirituosa, sive essentiæ sic dictæ plantarum v. c. scordii, quibus si angelicæ, imperatoriæ, pimpinellæ similesque radices, ut in essentia alecipharmaca STAHLII addantur, ex volatili oleo vel acri resina harum plantarum, spirituoso menstruo solutarum, vim calefaciendi majorem habent. Non semper vero larga eorum dosi ad octoginta vel centum guttas sudor commovendus sed viginti vel triginta guttulis cum acidis dulcificatis, si opus fuerit, juvandus est.

§. 382.

§. 382.

Ex pulveribus plantarum, ſale volatili oleoſo præditarum, compoſitiones ſic dictæ theriacales ſive electuaria præparantur, quibus egregia vis diaphoretica adſcribitur, in his tamen maxime ad opii doſin additam reſpiciendum eſt, hujus enim vis reſolvens ac anodyna, & fluida ad ſudores diſponit, & , ſpaſmo in minimis vaſis ſoluto, perſpirationem & ſæpe largiores ſudores excitat. Cum autem adeo inſignis ſimplicium copia, quæ v. c. theriacæ cœleſti additur, principem opii vim nimium obvolvat, melius eſt, ſolutionibus opii uti, vel compoſitioni ejus non nimis multa admiſcere.

§. 383.

Terreis quoque medicamentis vis diaphoretica tribuitur, quoniam iis, ut nonnulli perhibent, maſſa ſanguinis, motu nimio agitata, temperatur, ut moderatius currere incipiat. Sed dubia vel nulla plane eſt hæc virtus, cum moleculæ terreſtres, ſi vel maxime ſanguinis globulis admiſcerentur, eorum celeriorem progreſſum & inde ortum attritum cohibere vix poſſent. Si iis aliqua virtus concedenda eſt, terræ bolares ſive nobiles margæ, imprimis martiales reliquis præferendæ ſunt. Nitrum inter ſalia media antiphlogiſtica vi pollet, quod æſtu nimium ſuppreſſos ſudores revocat.

§. 384.

Ex his etiam patere arbitror, quid de terris & durioribus partibus animalium præparatis, vel de lapide bezoar aliiſque ſentiendum ſit? Item illud,

num

num antimonium diaphoreticum ſimiliaque ex metallis parata bezoardica medicamenta ob ſubtilem calcem metallorum ad diaphoreſin valeant Terreſtres particulæ in ſe inertes ſunt, niſi a ſalibus adhærentibus aliquam vim nanciſcantur, ideoque humorum maſſam nec reſolvere & agitare, nec ad peripheriam corporis derivare poſſunt. Sæpe numero virtutes, a vi vitæ pendentes, inerti medicamentorum moli adſcribuntur, quæ ventriculum tamen gravat.

§. 385.

Acris vis in perſpiratione mutanda, ex ejus viciſſitudinibus dijudicanda eſt. Etſi vero corpora multo motu agitata ſudant, tamen præcipue in humido & calido aere, quo cutis vaſcula relaxantur, ſudor effuſe erumpit. Hinc balnea calida & in ſe, & plantarum reſolventium & diſcutientium viribus adjuta, perſpirationem & ſudorem augent, frictione poſtea munditiem & robur reddente. Balnea vaporoſa ſuper ſpiritum vini accenſum vel his ſimilia, ideo in morbis venereis & aliis cutaneis utilia ſunt.

§. 386.

Sudores nimios quies corporis in aere temperato, vel aura frigidiuſcula admiſſa compeſcunt. Frictio corporis & aqua frigidiuſcula poſt balneum tepidum in ſpongiis applicata, multo magis tamen frigida balnea ſudores, a nimia cutis relaxatione oriundos, coercent. Aqua frigidiuſcula cum acidis vel nitro hauſta humores nimis reſolutos cogit, ſudores imminuit & diureſin ſæpe movet. Dum

vero

vero ita contraria contrariis opponuntur, summa cautione opus est, ne sudores critici cohibeantur.

SECTIO II.

DIURETICA.

§. 387.

Quamquam renes non tam amplam superficiem excernentem habent, quam cutis, nec ab aere in secretione lotii adjuvantur, ob amplissimos tamen tubulos urinarios, insignem seri copiam secernunt. Quæcumque igitur medicamenta sero as humorum particulas largius ad renes ducunt, diuretica dicuntur. Augmentum etiam urinæ a regimine pendet, si enim aliæ secretiones supprimuntur vel imminuuntur, urina copiosius ad renes derivatur.

§. 388.

Aqua, imprimis frigida, copiosius hausta, urinam valde movet, sicut in urina potus. Diuretica autem medicamenta illa potissimum dicuntur, quæ, acrimoniam humorum demulcendo, spasmos viarum urinariarum mitigant, ut lotium, hucusque cohibitum, postea liberius fluat. Tandem sunt specifica quædam medicamenta, quæ etsi non semper urinæ copiam augent, eamdem tamen particulis balsamicis imbuunt, quo, viis urinariis absterfis, sui transitus liberior sit.

§. 389.

Indicatio itaque diuretica ad tria respicere jubet: ad evacuationem copiosiorem seri, ex sanguine

resoluti vel non intime ei admixti; ad mitigationem spasmi, se & excretionem urinæ impedientis; ad balsamicam indolem, vias urinæ mundantem. Differentiam vero medicamentorum diureticorum accuratius definire poterimus, ubi indicationes varias examinaverimus.

§. 390.

Cum insignis aquæ copia per renes transeat, quæ & in statu sano particulas acres, salinas, oleosas & terrestres secum eliminat massamque humorum a nocivis his particulis liberat, in morbis quoque post cruditatem coctione & crisi solutis, si, non omnis, aliqua tamen materiæ morbosæ copia per has vias educitur. Quem ad modum vero hoc in acutis crebrius observamus, sic & in chronicis, præcipuæ in scorbutica humorum acrimonia, urina, sedimentum furfuraceum vel alio modo mutatum deponens, hanc secretionem juvare suadet.

§. 391.

Serum autem, quod in cellulis & cavitatibus corporis spissum & immeabile stagnat, sæpe etiam tubulos renales simili modo obsidet, & spasmo afficit, efficiendum itaque est, ut resolventibus medicamentis viæ urinariæ liberentur, ideoque serum, varie in corpore diffusum, viam patentem inveniat, per quam subinde eliminetur. Hoc in curationibus quorumdam hydropicorum ita evenire cognoscimus. Etsi vero interdum plethora universalis vel spasmus partium vicinarum, sicut intestini coli, urinæ fluxum cohibet, caussa tamen idoneis remediis sublata, excretio libera sequitur.

§. 392.

§. 392.

Si viæ urinariæ arenulis, calculis, sanguine grumoso, materia purulenta, plus minus viscida & ichorosa obstructæ sint, vel ulcera ex venereis præcipue morbis in his relicta, medicamentis diluentibus, emollientibus, resolventibus & balsamicis eluendæ & depurandæ sunt, ne hæc impedimenta urinam diutius cohibeant. Cum vero hæc obstacula interdum in renibus, & ureteribus, interdum in vesica & urethra hæreant, ex fabrica & situ partium cognoscimus, internis medicamentis etiam externa adjungenda esse.

§. 393.

Cum autem calculi interdum in his viis sedeant, etiam hactenus quibusdam medicamentis opus est, quæ lithontriptica appellantur, non tantum ideo, quoniam minores concretiones calculosas promovent & expellunt, sed duram quoque calculi compagem resolvunt, ut comminutæ & detritæ partes, subinde cum urina secedant. Horum autem medicamentorum vis cum non semper certa sit, aliquo modo dijudicari debet.

§. 394.

Aqua calida, tamen potius frigida, optimum diureticum est, quod per suam indolem ad vias has protinus derivatum eas abstergit, addita tamen salia fixa acida, alcalina & media viscidum hoc, vias obstruens, magis resolvunt. Quoniam aquosa & salina diuturno usu, qui tamen necessarius est, tubulos urinarios relaxant, cineribus

 plantas

plantarum, vel ob infusi puritatem salibus alcalinis fixis, TACHENII methodo paratis, vinum rhenanum vel aliud acidulum affunditur, quo medicamento urina sæpe egregie movetur. Quibus vinum non convenit, iis serum lactis suaderi potest.

§. 395.

His remediis ob acidam indolem, citri, acetosæ, acetosellæ succi addi possunt. Sunt etiam quædam plantæ resolventes, diuresi excitandæ & juvandæ maxime idoneæ, ex quibus apium dulce, chærophyllum, petroselinum, asparagus, asarum, daucus, armoracia, raphanus, pimpinella, nasturtium, lithospermum præcipue commemoranda sunt, quorum etiam radices, turiones, folia & semina hanc vim habent. Varia autem hæc medicamenta exhibendi ratio, ex eorumdem indole & ægrorum dispositione, sigillatim dijudicanda est.

§. 396.

Interdum enim succi expressi aliquot cochlearia, supperaddito haustu jusculi vel seri lactis, propinantur; interdum plantæ ipsæ cum lacte vel jusculo coctæ, vel cum vino rhenano, aliove simili, aut cum spiritu vini digestæ, his menstruis vires suas tribuunt, prout partes acres, resolventes in succis solutæ sunt, vel magis resinosæ fortiora menstrua postulant. Scillæ radix efficacia singulari pollet, ea tamen potissimum aceto solvenda, &, cum acrior videatur, melle temperanda est. Pimpinellæ & scillæ radices cum tincturis alcalinis digestæ, efficacissimum, sed robustioribus tantum propinandum, exhibent medicamentum diureticum.

§. 397.

§. 397.

Olea pressa olivarum vel amygdalarum dulcium, emolliendo, spasmum viarum urinariarum soluunt, & urinam movent, quem effectum succus citri additus multum accelerat. Semina oleosa amygdalarum dulcium, imprimis si quædam amaræ adduntur, persicorum, cerasorum, cannabis, cum aqua petroselini, trita, emulctum exhibent, cujus maxima vis est ad acrimoniam humorum & urinæ temperandam. Rancida primarum viarum acrimonia, olea; acida vero emulsiones haud admittunt.

§. 398.

Terebinthina veneta & germanica, magis tamen balsama nobiliora de copaiba, de mecca, & similia, præter virtutes resolventes & aromaticas, diureticam quoque habent, imprimis vero urinam, vi balsamica imbuendo, ulcera viarum urinariarum blande abstergunt & mundant. Etsi vero hæc medicamenta mixturis concentratis & pilulis admisceri possunt, melius tamen cum vitello ovorum subacta & aqua diuretica excepta, spasmos cohibent & urinam movent.

§. 399.

Ex animali regno quidem insecta singulari acrimonia prædita sunt, qua urinæ vias potissimum stimulant. Cantharidum effectus certus est, cum etiam extrinsecus applicatæ urinæ vias adficiant. Internus tamen eorum usus vix concedi potest, cum magis venenatus sit, sæpe spasmos excitet & mictum cruentum faciat. Millepedes vero imprimis

 sylve-

ſylveſtres tutius exhibent medicamentum, ſi recentes cum vino rhenano terantur, & ſucci expreſſi aliquot cochlearia exhibeantur, juſculo vel vero lactis poſtea hauſto.

§. 400.

Lithontriptica ſive calculos ſolventia medicamenta, in magna horum diverſitate & denſitate incerta ſunt, aliqua tamen de acidis & alcalinis medicamentis tentamina proſtant. Etſi vero acidorum mineralium vix tanta doſis exhiberi poteſt, quæ ad vias urinarias penetret, & terreas calculi particulas diſſolvat, mitiora tamen acida vegetabilia §. 394. ob reſolventem aliquam virtutem in mucum, terreas particulas compingentem, agunt; ſubadſtringentium quoque fructuum, pruneoli & cynosbati, hac in re efficacia cognita eſt.

§. 401.

Alcalina, recenter calcinata, hunc mucum potentius ſolvunt, quamquam vero eorum acrimonia, ſapone copioſius addito, temperatur, magna tamen cum cautione exhibenda ſunt. Conſtat tamen eorum uſum interdum poroſam & friabilem ſubſtantiam calculi in omni ſuperficie quaſi emollitam abraſiſſe, & cum urina ſubduxiſſe. Thermis carolinis quoque vim calculi ſolvendi tribuunt; & aqua calcis vivæ ſimiles effectus habet, ſi recenter parata ſatis copioſa bibitur. Uſus lactis horum medicamentorum effectum mirifice juvat.

§. 402.

Diureticis, jejuno ventriculo hauriendis, paulo post aquosus potus in ptisanis demulcentibus addendus est, quo liberius ad vias urinæ deferantur, præstat tamen potus frigidus calido. Regio etiam lumbaris interdum fricari, vel epithematibus humidis, sive potius fomentis siccis, tractari potest. In spasmo vesicæ, urinam impediente, præter alia emollientia cepæ assatæ, forma cataplasmatis, regioni pubis & perinæo applicentur.

§. 403.

Diuresis nimia ab acrimonia fermentescente, acida, alcalina & venenata, lacte & oleis recenter pressis optime compescitur, decocta emollientia & emulsiones simili sæpe effectu sunt. Licet tamen cum his medicamentis cataplasmata, ex emollientibus & resolventibus parata, lumbis, pubi & perinæo applicare. Quod si vero spasmi nimium urgeant, opiata negligenda non sunt, præcipue cum sudor, iis excitatus, impetum humorum versus renes imminuat. Et purgationes antiphlogisticæ utiles sunt. Etsi vero roborantia & subadstringentia medicamenta nimia urinæ profluvia, a laxitate viarum urinariarum oriunda, compescunt, ad dispositionem tamen ægri attente respiciendum est.

SECTIO III.

SIALAGOGA.

§. 404.

Salivam, in usum digestionis secretam, non expuendam esse, diæta præcipit; quod si vero varia acrimonia inquinetur & excretionem urgeat, hæc variis medicamentis juvanda est. Sunt igitur sialagoga medicamenta, quæ salivam copiosius ad oris cavitatem derivant, ejusque excretionem accelerant. Alia ex his, stimulo oris cavitati inducto, & agitatione maxillarum, glandularum salivalium profluvium hoc augent, alia, ipsa humorum massa resoluta, peculiari quadam vi serum & pituitam acrem copiosius per vias salivales subducunt.

§. 405.

Salivam copiosius movendam & evacuandam esse, ex his indiciis apparet; si mucus tenacior oris cavitatem & fauces obsideat, & in glandulis folliculosis copiosius secretus, spuendo rejici nequeat, salivæ excretio adjuvetur; si critici motus omnem vel aliquam materiæ morbosæ partem, ad vias salivales derivent; si miasma malignum v. c. in lue venerea, variis medicamentis resolutum, has vias petat. Qui inter ægros, putridis & contagiosis morbis affectos, versantur, crebrius expuendo arceant contagium.

§. 406.

Secretio vero ſalivæ non augenda eſt, niſi humorum copia adſit, macilentis enim optimos humores ſubducendo, ſiccitas facile augetur. Quod ſi igitur, ſicut in venereis, hæc evacuatio neceſſaria judicetur, corpus antea humectandum eſt; & cum hoc nutrientibus fieri nequeat, decocta plantarum leniter reſolventium & demulcentium, radicum bardanæ, ſcorzoneræ, fœniculi, chinæ & præcipue ſaſſaparillæ, cum victu ex cerealibus diu propinanda ſunt.

§. 407.

Si orificia vaſorum, muco tenaci obſeſſa, ſiccitatis faucium cauſſa ſunt, collutiones oris ex aqua ſimplici, acidulata, mellita crebrius adhibeantur. Hæ in febribus, ſæpe ſitim levant, quando non ea potus aquoſi copia concedi poteſt, quam ſitientes ægri poſtulant. Etſi vero nauſeoſa imprimis purgantia medicamenta ſalivam vehementer movent & crebram ſputationem excitant, iis tamen ſalutaris ſalivæ fluxus moveri nequit.

§. 408.

Maſticatio ſola ſalivam prolicit, & corpus quodlibet durum v. c. globulus plumbeus, in ore agitatus, idem efficit; ſtimulantium autem herbarum & radicum v. c. nicotianæ, ſalviæ, pimpinellæ albæ & pyrethri maſticatio longe efficacior eſt, ſi viſcida pituita faucium, & ſaliva ſpiſſa, ſtagnans, in odontalgia angina catarrhoſa & paralyſi linguæ a cauſſa pituitoſa fortius movenda ſint.

Quamquam vero & aromatica, ſemen fœniculi, fructus caryophyllorum, & cortex cinnamomi, maſticata ſalivam proliciunt, iis tamen non abutendum eſt, quippe ſiccitatis cauſſa ſiunt. Grana maſtichis optimum maſticatorium medicamentum ſunt.

§. 409.

Quemadmodum herbæ nicotianæ maſticatio ſalivam elicit, ſic etiam ſtimulus fumi, cum per tubulos ſugitur, eadem vi eſſe ſolet. Quæ conſuetudo ut in diæteticis ſanitati noxia dicitur, ſic uſum medicamentoſum iis concedendum apparet, qui in doloribus dentium, aliiſque catarrhoſis affectionibus faucium, viſcida pituita cum ſaliva liberandi ſunt. Forte etiam ex ea parte indulgeri poteſt, quod vi anodyna dolores & tenſiones moleſtas mitigat.

§. 410.

Mercurialia medicamenta humores viſcidos, in glandulis potiſſimum ſtagnantes, reſolvunt, & in hunc uſum varie præparantur, §. 231. quando vero in morbis venereis aliiſque, pituita & ſerum ſtagnans, miaſmate inquinatum, per vias ſalivales ſubducendum eſt, tunc mercurius, cum ſalibus præparatus, interne propinetur, vel vivus cum terebinthina & pinguedine ſubactus externe inungatur. Vapores mercuriales fumigatione ad cutim admittere, eſt incerto remedio uti. Aegri vero & morbi diſpoſitio oſtendunt, qua doſi medicamentum & quamdiu opus ſit: quæ res in ſingu-

ſingularibus curationibus ſingulatim dijudicanda eſt.

§. 411.

Largius ſalivæ, profluvium, variis medicamentis, imprimis mercurialibus, excitatum, juvatur potu copioſo decoctorum diluentium, plus minus acrium & reſolventium §. 226. 405. Inter ea vero in aere temperato commoretur æger, caput, cervicem & collum pannis calidis foveat, omneque refrigerium, imprimis ſubitaneum, evitet. Quod ſi enim humores moti ſubito cohibeantur, non tantum in anguſtiis vaſorum ſtagnant, ſed ſi ad partes internas nobiliores converſi fuerint, graviſſimos morbos & ſæpe mortem ſubitam inducunt. Eluere os emollientibus §. 406. ardorem faucium temperat, & ſalivæ fluxum juvat. Victus tenuis lubricans acrimonia carens, his ſuadendus eſt.

§. 412.

Quando ſalivatio nimia aut ſupprimenda aut moderanda eſt, decocta emollientia vel emulſiones blandæ, imprimis papaverinæ, ex ſeminibus recentibus tritæ, largius hauriendæ ſunt. Purgantia mannata, admiſſo etiam interdum ſennæ ſtimulo, aucta ſubinde doſi propinata, ſalivationis impetum ſenſim imminuunt, vel prorſus infringunt. Et opii uſus interdum convenit, imprimis ſi regimine diaphoretico humores ad peripheriam deriventur.

§. 413.

§. 413.

Salivatio autem mercurialis non tantum in morbis venereis, ſed aliis quoque, imprimis partium obſtructionibus, cum fructu prolicitur v. c. in amauroſi, ex obſtructione nervi optici orta. Sic certe etiam incipientibus glandularum & viſcerum obſtructionibus opponi poteſt ſumma tamen cum attentione, nam ſi pertinaciores ſint, & materia jam corrupta moveatur v. c. in ſcirrho confirmato, & in phtiſicis, facile viſcera deſtrui poſſunt. Gravidis non tuta hæc curatio eſt, etſi quarumdam proſtant exempla, quibus ſalivatio non nocuit.

SECTIO IV.

ERRHINA.

§. 414.

Pituitaria membrana, in narium cavitate expanſa, in ſano corpore ſeri & muci moderatam copiam ſecernit, & per ſaccum lacrymalem aliqua pars lacrymarum in hanc cavitatem defluit. Ampliſſimum quoque hoc cavum per ſinus varios calvæ & maxillæ ſuperioris auctum, ex variis cauſſis, imprimis ſi humores in morbis catarrhoſis ad caput deriventur, in catarrho pituitoſo mucum tenacem, in coryza ſerum acre copioſe effundit. Medicamenta, quibus excretio hæc promovetur, errhina dicuntur.

§. 415.

Ad errhina quidem medicamenta ea potissimum referuntur, quæ stimulo quodam naribus illato, sternutationem, violentam & profundam inspirationem, & paulo post similem exspirationem efficiunt, & sæpe insignem vim humorum ex naribus excutiunt. Hæc sternutatoria appellantur. Cum his vero simul considerari & ex indicationibus variis dijudicari possunt ea medicamenta, quæ emolliendo & resolvendo, nullo vehementiori motu excitato, mucum, in naribus hærentem, diluunt & excretionem hanc juvant. Analeptica & nervina §. 63. *seqq.* huc suo quoque modo referri poterunt, quoniam naribus admota interdum tunicam pituitariam vellicant, & sternutationem movent.

§. 416.

Hanc vero secretionem per nares promovendam & adjuvandam esse cognoscitur, si in gravedine tenax puituita in angustis sinuum orificiis hæret, & pressione molesta est, si copia seri, perspiratione suppressa, humida potissimum & frigida tempestate, huc derivatur, mucum resolvit & ad excretionem disponit, si acre & ichorosum serum, in variis humorum morbis ad nares derivatum, in coryza excernitur; si lacrymarum affluxus oculis molestus vel nimia seri & muci copia, in pulmonibus collecta, ex parte huc derivenda est.

§. 417.

Quamquam vero magna superflui nec raro morbosi humoris copia per has vias educitur, usus

ta-

tamen errhinorum ex mera consuetudine sine idonea indicatione facile in abusum vertitur, quoniam stimulo continuato affluxus seri superflui ad nobiliores capitis partes allicitur, & nares sæpe nimis siccantur, ex qua re varia incommoda oriuntur. Cerebrum quidem ipsum his medicamentis non afficitur, ob nexum tamen vasorum & nervorum nobiliores secretiones turbari, nervos nimium irritari, & molestas capitis tensiones & dolores excitari, in aperto est. Hinc non nisi magna cum attentione hæc derivatio tentetur, sæpe etiam, si nimia fuerit, coerceatur.

§. 418.

Pulvis tenuis, inodorus, cum aliqua vi in nares ductus, vellicationem efficit, & sternutationem movet, si igitur plantarum, oleo essentiali aromatico præditarum, pulveres v. c. rosmarini, salviæ, majoranæ cet. vel per se vel cum saccharo tritæ, naribus attrahantur, tunicam pituitariam magis irritant. Pulvis herbæ nicotianæ & florum liliorum convallium fortius præbet sternutatorium; euphorbii vero pulvis nimis vehementi & noxio stimulo pollet, quam ob rem inter errhina referri nequit.

§. 419.

Pulveres sternutatorii, imprimis nicotianæ, oleis destillatis additis, gratiores redditi, vel spiritu salis ammoniaci aliisque acribus admistis, incitati non nisi tum locum habent, cum pituita narium copiosa, non adeo tenax, sed quodammodo mobilis est, ut, capite, sternutando, aliquantum concusso, per angusta sinuum orificia eliminetur. In siccitate tamen

tamen cavi narium, vel a defectu seri affluentis, vel a muco nimis sicco & tenaci oriunda, in acribus item & ichorosis fluxionibus, nares sæpe arrodentibus, minus recte applicantur, & ut in universum, sic in his morbis noxa ex nimio pulverum sternutatoriorum usu metuenda est.

§. 420.

Huic itaque narium dispositioni vapor aquæ calidæ vel lactis, melle & saccharo nonnunquam additis, optime convenit. Simili quoque modo infusa plantarum emollientium malvacearum, vel interdum plantarum discutientium & lenter resolventium, betonicæ, agrimoniæ cet. tandem etiam croci, ut antispasmodici medicamenti, cum lacte vel in vaporibus applicari, vel in nares injici possunt, quo mucus siccus & tenax, emolliendo & resolvendo, ad excretionem præparetur.

§. 421.

Hæc remedia quoque prosunt adversus stimulum fortiorem acrium sternutatoriorum, naribus applicatorum, & adversus colluviem ichorosam & ulcerosam, in nares translatam: non solum enim acrimonia sic obvolvitur & obtunditur, sed spasmi etiam mitigantur. Si laxitas nimia tunicæ pituitariæ affluxum seri efficit & auget, sicci vapores sive fumi ex benzoe, ladano aliisque gummi resinis balsamicis, naribus excepti, robur excitant. Convenit tamen simul variis evacuantibus blandioribus serum ad alia loca derivare.

SECTIO

SECTIO V.

VESICATORIA CET.

§. 422.

Si serum acre variis in locis corporis hæret, nec medicamentis internis protinus corrigi & discuti potest ad exteriora & remotiora corporis loca derivandum est. Hoc quidem irritatione integumentorum communium plus minus vehementi efficitur, quoniam non solum nervi cutanei, sed allii quoque, ad mobilitatem seri stagnantis efficiendam, excitantur.

§. 423.

Medicamenta itaque rubefacientia dicuntur, quæ cutis parti applicata dolorem, ruborem, ideoque & lenem inflammationem cient. Vesicatoria ceteris asperiora sunt, & cuticulam a cute removendo, serum acre in vesiculis elevatis colligunt, & ulteriorem ejus affluxum efficiunt. Ulcera artificialia, in cute ipsa & contextu celluloso vicino excitata, fonticuli nimirum & setacea eo valent, ut serum continuo & diu affluat. Tandem & caustica varia vehementioris doloris, celerioris affluxus & majoris exulcerationis caussæ sunt.

§. 424.

Plantæ acrimonia caustica præditæ, v. c. ranunculi quædam species, recentes contritæ & cuti adhibitæ rubefaciunt; pulvis seminum sinapi recentium & acrium, si cum fermento panis ut

cata-

cataplasma applicatur, vel emplastro spisso largius inspergitur, efficacius agit; farina secalina cum acero subacta, addito pulvere piperis nigri, etiam emplastrum rubefaciens est. Hæc remedia temporibus, post aurem, nuchæ, carpis, suris & plantæ pedis imponuntur, ut dolores & spasmi, in vicinis locis a sero stagnant & acri orti, discutiantur; hinc in doloribus dentium, obtusis & incompletis podagricis insultibus aliisque partium spasmis cum fructu adhibentur.

§. 425.

Dropaces sive emplastra, ex pice aliisque acribus medicamentis facta, simili ratione, sed longè vehementius agunt. Urticæ caulis & folia imprimis juniora, spiculis copiosissimis, quibus superficiem consitam habent, cutim irritant, leniter inflammant & pustulas excitant; si igitur partes corporis, imprimis extremitates, paralysi laborantes, iis cæduntur, nervis irritatis, dolorem excitant, & serum stagnans movent. Desquamatio cuticulæ, quæ in his partibus fit, perspirationem etiam juvat.

§. 426.

Vesicatoria, quæ irritando cuticulam elevant, & serum copiosum in vesicas colligunt, ex pulvere cantharidum fiunt. Hic fermento panis, vel emplastro de meliloto copiosius inspergitur, &, quo promptius agat, aceto acerrimo irroratur, & ita parti cutis, frictione ad rubedinem incitata, applicatur. Horum usus continuatus serum

copiosum subducit, & erosione cutim ad tempus exulceratam sistit, interea vero sistema nervoso irritando movet, quo serum acre resolutum ad peripheriam corporis dirigatur. Morborum diversitas definit loca singulis in morbis aptissima, temporis intervallum, per quod imposita manent, etiam illud declarat, an repetenda sint.

§. 427.

Rubefacientia igitur & vesicatoria ut in systematis nervosi languore a sero copioso, nervis inhærente, oriundo applicantur, sic in apoplecticis etiam paralyticis & soporosis morbis valde utilia sunt. In acutis febribus, præcipue tempore cruditatis, systema nervosum vehementer incitant, & motus vitales instaurant. Serosas congestiones, ad organa nobiliora ductas, derivant, quod in morbis oculorum & narium, a serosa caussa oriundis, cognoscimus. In siccioribus & imbecillis corporibus, nec non in gravioribus inflammationibus caute applicanda sunt, quod interdum spasmos vehementes inducunt.

§. 428.

In chronicis seri congestionibus ad partes nobiliores, imprimis ad caput, & organa sensoria, setacea cervici applicantur. Fila scilicet gossypina, in fasciculum collecta & contorta, acu sub cute ducuntur, &, quo inflammationem & suppurationem moveant, irritantibus medicamentis illiniuntur. Affluxus autem seri in ulcere hoc artificiali, mutatis subinde medicamentis vel excitatur vel temperatur, donec derivatio seri acris facta est.

§. 429.

Ulcera autem artificilia, e quibus sæpe per plures annos continuo serum effluit, sunt fonticuli. Hi simili modo sub cute in contextu celluloso formantur, vel enim scapello vel cauterio potentiali v. c. lapide infernali cavum efficitur, quod pisum suscipit, cujus extensione serum ad hanc partem copiosius allicitur, fluxusque variis medicamentis piso, vel similibus globulis illitis, regitur Etsi vero hæc ulcera chronica variis in locis fieri possunt, præcipue tamen ad humeri superiorem & anteriorem partem & circa genua fieri solent.

§. 430.

Fonticuli potissimum in chronicis morbis aperiuntur, ut serum acre diutius emanet, in primis si correctio humorum medicamentis internis efficienda non ita succedat, ut æger partiali hoc affluxu carere possit. Si in senibus negligentia curationis exsiccantur, haud raro maxima incommoda inferunt, si vero in his sponte siccan-

tur, sæpe mortis proximæ indicia sunt. Simili modo ulcera alia, imprimis ad crura ex congestione acris seri enata, incommoda quidem sunt, corpus tamen a gravioribus morbis tuentur, & tum demum, cum latius serpunt, idoneis remediis coercenda, minime vero exsiccanda sunt, nisi forte fonticuli eorum locum occupent.

§. 431.

Ulcera artificialia causticis quoque excitantur vel potentialibus vel actualibus. Dicuntur vero caustica potentialia, quæ non ipsum ignem, sed tantum caussam ei similem applicant. Sic spiritus salis ammoniaci in ulcera fistulosa injicitur, lapis causticus chirurgorum ex alcali fixo & calce viva paratus, butyrum antimonii &, qui commodior ad usum est, lapis infernalis vel luna caustica huc referuntur. Si enim hoc modo vehementissimus dolor, & inflammatio, humores copiosius ad aliquam corporis partem allicit, & escharam inducit, hac soluta, vel ulcera munda redduntur, vel, si opus est, ulterius aperta servantur.

§. 432.

§. 432.

Actualia vero cauteria ſunt inſtrumenta ferrea variæ figuræ, quæ candefacta, vel cuti ſanæ vel ulceri impuro admota, vehementiſſimum quidem dolorem excitant, ſed ſerum acre copioſe alliciunt, evacuant, & graviſſimorum morborum curam juvant. His commodius ſubſtituitur moxa; quæ inter Japonenſes ex lanugine artemiſiæ apud nos vero ex goſſypio in pyramidalem formam cocto efficitur, apice ita accenſo ſenſim deſcendit ignis vis uſque ad baſin cuti affixam, ubi vehementiſſimum dolorem & eſcharam cutaneam format, quæ ſeparata ulcus artificiale relinquit, cujus effluxu non raro pertinaciſſimi rheumatiſmi diſcutiuntur.

PARS V.

INDICATIO SYMPTOMATICA.

§. 433.

MEdicus ad normam indicationum therapiæ generalis ductus, vires vitæ conservat, caussas mali removet, & ipsas corporis morbosas mutationes corrigit, in hac vero re per varia remedia efficienda, nonnunquam turbatur, si interim symptomata quædam graviora oboriantur. Quando itaque hæc ægrum ita afficiunt, ut ordo curationis perturbetur, & sæpe vitæ periculum immineat; reliquis indicationibus ad tempus neglectis, gravissimum symptoma compescatur. Hæc indicatio urgens dicitur, attamen non nisi palliativa est, quoniam effectus aliquis morbi ad tempus tantum mitigatur.

§. 434.

Symptomata sunt actiones, præternaturali dispositione partium corporis solidarum & fluidarum, læsæ, ideoque effectus vel morbi, vel caussæ morbi vel aliorum symptomatum, *Physiol.* §. 194. Etsi vero effectus nunquam, nisi caussa sublata, plane cessent, interdum tamen hac superstite, vehementiores effectus morbosi coerceri & quodammodo mitigari possunt. Methodus medendi igitur

igitur genuina non leviora, ſed graviſſima & urgentia ſymptomata coercere jubet.

§. 435.

Ad ſymptomata urgentia ut plurimum referuntur anxietates præcordiorum & hypochondriorum, ſpaſmi, dolores, ſitis, vigiliæ protractæ, excretiones, ultra modum auctæ. Quoniam vero in his omnibus ad cauſſa & reliquas morbi mutationes reſpiciendum eſt, in univerſum de iis agi nequit. Ne vero ſpecimen aliquod indicationis ſymptomaticæ deficiat, dolorum lenimen & excretionum moderamen, ut exempla, propoſiturus ſum.

CAPUT I.

DOLORUM LENIMEN.

§. 436.

Dolor eſt moleſta ſenſatio a læſione fibrarum nervearum oriunda, quam vel acre lædens obſtruendo vel obſtruens diſtendendo inducit. Neque vero dolor a læſione qualibet continui pendet, unitate enim ſolidorum ſoluta, dolor ceſſat: ſi vero unitas ita ſoluta ſit, ut quædam fibræ vicinæ tendi poſſint, tunc in his doloris ſedes eſt; aliæ enim harum fibrarum, quæ inæqualiter tenſæ ſunt, influxu fluidi nervei moventur, aliæ, nimi-

 rum

rum vicinæ, non ex vi sua, sed per consensum trahuntur.

§. 437.

Cum vero acre lædens corrigimus & diluimus, obstruens vero resolvimus & discutimus, dolores tandem tolluntur. Calculus v. c. angulosis & acutis eminentiis lædit & in angustis canalibus hæret, ideoque dolorem excitat, qui non, nisi auxiliis variis promoto excretoque calculo, cessat. Quod, cum non semper fieri possit, videndum est, an, caussa superstite, effectus medicamentis leniri possit.

§. 438.

Fibra tensa aut propter elasticitatem auctam, aut propter vehementem fluidi nervei influxum dolorem excitat, itaque palliativam opem adfert, qui aut elasticitatem, a solo particularum nisu pendentem, relaxat, aut nimium fluidi nervei impetum in has partes retardat, ita enim, relicta caussa, emolliendo & sopiendo, dolores ad tempus mitigari possunt.

§. 439.

Partibus itaque, vehementi dolore affectis, applicentur fotus & balnea aquæ callidæ vel lactis, iisque herbæ emollientes addantur. Injectiones, clysmata & cataplasmata similia, vel additis oleis validiora, fibras, quas attingunt, ita emolliunt & relaxant, ut caussa, dolorem creans, eas non tam vehementer afficiat, sic calculus, in tractu viarum

viarum urinariarum hærens, his quidem interdum promovetur, interdum tamen fibræ tantum ita relaxantur, ut doloris sensus obtundatur.

§. 440.

Anodynam simul vim habent ea emollientia vegetabilia, quæ odore gravi prædita sunt, flores sambuci, chamomillæ & summitates meliloti, si, ut fotus & cataplasmata, applicantur, dolores efficaciter sopiunt, magis tamen si pulveres herbæ & seminis hyoscyami, nicotianæ, & cicutæ adduntur. Olea pressa & cocta, ex his præparata, in linimentis applicata, vim emollientem & anodynam habent, & opium ipsum simili modo, ut medicamentum externum, adhiberi potest.

§. 441.

Internus vero anodynorum usus sæpe perquam necessarius est & tuto adhibetur, quamquam enim particularum indoles agendique modus non plane explicari potest, effectus tamen in sopiendis nervorum motibus certus est. Semina papaveris albi & flores papaveris rheados lenissima sunt medicamenta, opium vero ipsum & varia medicamenta ex eo parata §. 352. idonea dosi propinata, egregiam, ad dolores & spasmos sedandos, vim habent.

§. 442.

Etsi vero opii vis certa & sæpe salutaris est, sanguinemque simul resolvendo commovet, omnis tamen ejus efficacia tandem ad nervos refertur.

Quemadmodum igitur poſt opii, imprimis largiorem, uſum nervoſo ſyſtemati debilitas inſertur, ſic, ubi hæc jam animadvertitur, illud caute adhibendum, & in univerſum notandum eſt, palliativam tantum opii vim eſſe, cujus abuſu ſtupor nervorum, & peſſimi morbi chronici inſeruntur.

CAPUT II.

EXCRETIONUM MODERAMEN.

§. 443.

De excretionibus nimiis moderandis vel cohibendis, paſſim jam, cum de evacuationibus variis dictum eſt, egimus & imprimis, excitata evacuatione alia v. c. ſudoris in diarrhoea, eam, quæ nimis urget, tolli poſſe, declaravimus. Quoniam vero cauſſa excretionum nimiarum in laxitate & debilitate, nec non in unitate ſoluta poſita eſt, quæ ex indicatione curatoria ſenſim tantum corrigitur, effectus vero velociſſimi & peſſimi deprehenduntur, diſquirendum eſt, quomodo præſenti, etſi tantum palliativo auxilio, excretiones cohibeantur.

§. 444.

Adſtringentia medicamenta interne ſumta, profluviis humorum ſiſtendis minus idonea ſunt, lentius enim operantur, & primas vias magis ſiccant, ad ſecundas vero vix penetrant. Si vero

forma

forma epithematis ſicci vel humidi externe applicari poſſint, plus conducunt. Aqua frigidiuſcula, cuti applicata, ſudores, a laxitate oriundos, compeſcit, neque tamen perſpirationem ſupprimit. Epithemata roborantia, lumbis, perinæo & pubi applicata, urinæ & ſeminis maſculini nimia profluvia coercent.

§. 445.

Adſtringentia vel potius roborantia interdum cum opiatis conjungere, & contraria quaſi ratione agere conſultum eſt: roborantibus enim laxitas corrigitur, opiatis ſpaſmus, ex illis metuendus, avertitur. In diarrhoeis & aliis ventris fluxibus rhabarbarina vel alia quoque roborantia, addito opio, excretionem nimiam ſine ſpaſmo & teneſmo cohibent. Num medicamenta ex plumbo humores coagulando excretiones profuſas cohibeant? quæritur. Tentamina adducunt, ſed saturnina nervis inimica ſunt.

§. 446.

Sanguinis profluvia ex arterioſis & venoſis vaſis minoribus cohibentur refrigerio externo, aſperſa aqua frigida vel epithematibus refrigerantibus ex aceto, ſale ammoniaco & nitro paratis, variiſque corporis partibus applicatis; his enim vaſa ſubito conſtringuntur, & coagulatur ſanguis. Graviores hæmorrhagiæ, ex læſis vaſis majoribus obortæ, ſi in internis partibus eveniunt, raro coerceri poſſunt & ut plurimum lethales ſunt, in externis vero compreſſiones & ligaturæ, de quibus in inſtitutionibus chirurgicis agitur, ſæpe opem ferunt.

§. 447.

§. 447.

Si vulneri, ex quo sanguis fluit, medicamenta applicari possunt, & pulvilli sicci, ex linteis carptis parati, non sufficiunt, pulvis bovistæ, telæ aranearum vel alia adhibentur, quæ cum sanguine coagulato pastam spissam formant, qua orificia vasorum obturantur. Spiritus vini optimus aliique liquores styptici, ex acidis mineralibus potissimum parati, orificia vasorum constringunt & fluxum sanguinis cohibent. Quemadmodum vero illa remedia vulnus impurum, sic hæc nimis callosum reddunt, agarici igitur querni partes, dextre applicatæ, præstantissima sanguinem sistendi adjumenta sunt, lene coagulum efficiunt, nec vasa ultra modum stringunt.

INDEX

NUMERUS §. INDICAT.

H.

I.

L.

M.

Me-

Soli-

in